Google

### Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

### Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

### Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

Digitized by Google

Dochl. 1642 I. [illegible]
Titel 3 Bll., 272 pp., 64 pp., 8 Bll. [illegible]

P. o. lat. 1666 g.

<36604952070017
<36604952070017
Bay

Digitized by Google

# BENEDICTI SOCIACI
## AMBROSIANI COLLEGII DOCTORIS
*Epigrammatum Libri Septem,*

Odarum Duo.

CVM PRIVILEGIO.



MEDIOLANI,

Ex Ambroſiani Collegij Typographia,

M.DC.XVI.

Digitized by Google

siehe: Universal-Lexikon, Bd 38. p. 166 — Jöcher, Gelehrten-Lexikon. Teil IV. p. 652 unten. Sociacus = Sossaguus

Bayerische Staatsbibliothek München

Bayerische Staatsbibliothek München

77 / 1176

Digitized by Google

Imprimatur,

F. Aloyſius Bariola Auguſtinianus Conſultor S. Officij pro Reuerendiſſimo Inquiſitore.

Io. Paulus de Clericis Can. Dep. pro Illuſtriſs. DD. Card. Archiep.

Vidit Saccus pro Excellentiſs. Sen.

---

*TIbi Benedicto Sociaco Collegij Ambroſiani Doctori Libros Odarum duos, Epigrammatum ſeptem omnium Doctorum ſuffragijs conſenſuq. receptos imprimendi facultatem damus.*

Antonius Ruſca Collegij Ambroſiani Præſes ſuo, & Collegarum nomine.

# AMPLISSIMIS

## Integerrimisq. V.

Iacobo Terzagho

Ludouico Beſutio

I. Cæſari Bononimio

Andreæ Baſsio

Stephano Bigatio

*Ambroſiani Collegij Conſeruatoribus*

Benedictus Sociaeus eiuſdem C. D.

Digitized by Google

TOTVM hoc volumen carminum, quod nomini veſtro inſcribimus V. A. vel indignationem veſtram mihi pariat neceſſe eſt; vel impetret veniam tenuitatis ſuæ. Certè apud animum meum ſtatueram exculpere aliquid dignum Collegij fama, dignum veſtro patrocinio, dignum Federici Borromæi munificentia, ſed importuniſſimus me morbus oppreſſit, omnesq. præclaros impetus animi iniectis quodammodo manicis, ac compedibus repreſsit. Quin etiam luctari auſus cum incommoda valetudine Iephtem in ſcenam produxeram, cothurnum indueram, & iam plauſum expectabam, cum voraciſſimus ignis infauſtum opus corripuit, ac quaſi non ex æquo pugnarem cum morbo, mea nouus hoſtis inuaſit. Arripiendum igitur fuit, quicquid ſeſe in manum daret, & in ſumma perturbatione animi peſsima etiam conuaſanda, quo ineluctabili Collegij noſtri decreto vtcumque ſatisfacerem. Hæc an prorſus explodenda ſint, veſtrum A. V.

erit

erit iudicium, quibus hos Epigrammatũ, & Odarum Libros eò dicatos volui, vt ſi quid valeant, patrocinij veſtri minimè vos pæniteat, ſin minus, veſtris ſtudijs ad grandius aliquid, excellentiusq; elucubrandum poſthac accendar. Coniungitis enim inuſitato quodam modo Eccleſię tutelam, & litterarum patrocinium, nec indignum vobis videtur in eadẽ Vrbe, & aras ſartas, tectas tueri, & Muſarũ cuſtodire patrimonium. Quos ſi Deus nobis diutiſſimè ſeruabit incolumes, videbimus in Collegio noſtro bonas artes ſe ſe erigere, eaq. volumina typis mandari, quæ nomina veſtra præfixa frontibus per varias orbis terræ partes ſumma cum laudatione circumferant. Interea hoc qualecumq. munuſculum Cliẽtuli veſtri accipite, qui dum ſub auſpicijs veſtris Gregorium ſuum abſoluit, hoc etiam verſiculorum in veſtræ ſpem gratiæ fatetur ſe lubenter emittere.

Digitized by Google

## AD OCTAVIVM AYROLDVM I. C.

DVratura diu num ſint mea carmina quæris,
Siqua merent plauſum, ſibila multa merent.
Hæc tamen audebunt ſperare ingloria famam,
Ex humiliq. animos conditione gerent.
Nonne vides durare minus ſublimia rerum?
Non niſi ſumma ſolet carpere liuor edax.
Inuidiæ viuent igitur ſecura veneni?
Sibila quod mereant, ſibila nulla timent.

## AD LECTOREM.

NE graciles verſus, ieiunaq. carmina ride,
Spuria non ſoboles, ſed miſeranda ſumus.
Languentes numeri vatem languere probamus,
Auctorem macies arguit ægra ſuum.
Nec macie, tabere pudet, patemq. fateri:
Os, animumq. patris vera propago refert.

## AD LIBRVM.

COgeris in lucem nullo procedere cultu,
Anne reluctaris? iuſſa faceſſe liber.
Tu merito doctas laſſare vereberis aures,
Quas modo tentaui deteriore ſono.
Horret adhuc animus, nec te dimitteret vnquam
Vſque adeo trepidat, concutiturq; manus.
Heu quid agas? hac fronte tuum fateare pudorem,
Sæpe tacens animus fronte loquente placet.



Digitized by Google

# IN INVIDOS
## Ne Benedictum Sociacum vellicent.

Cæſaris Burri I. C. C. M.

CArmine felici felicem carpere Vatem,
Te quoque qui carpis, deſine, Liuor edax.
Ille Dijs cum ſit Muſarum munere gratus,
Anne odiſſe potes munera grata Dijs?
Sed demus, te poſſe nefas te, Liuide, dignum:
Cui tamen inuideas (nam niger eſt) videas.
Quin etiam vates atra cum bile laboret,
Accendet quantas bilis aduſta faces.
Viroſam vibrabit acum, ceu Scorpius ardens,
Sicq. ſcies, Cornix, te rapuiſſe Nepam.
Vtq. Nepa tactus cælo eſt exceptus Orion,
Sic Oriona ſtygis hac Nepa te faciet.

## IN LAVDEM BENEDICTI SOSSAGI
### Poetæ celeberrimi.

Felix Oſius S. T. D.

TAle canit carmen Soſſagus, quale Maronis
Muſa per arua canit, quale per arma tonat.
Dulcia ſi dulci modulatur carmine, carmen
Dulce canit dulci dulcius ambroſia:
Grandia ſi grandi tonat Idem carmine, carmen
Grande tonat grandi grandius Iliade.
Carmen vtrunq; legas, teſtabere vtrunq. Maronë.
Tam bene vterq. canit, tam bene vterq. tonat.

Digitized by Google

# BENEDICTI SOCIACI AMBROSIANI COLLEGII DOCTORIS

## Epigrammatum Liber I.

### AD D. CAROLVM IN CÆLITVM album relatum.

*Romuleus dũ te ſuperis inferre Sacerdos*
*Apparat, inque nouum CAROLE numen abis:*
*Iris in immenſum ſinuata coloribus arcum,*
*Cæruleos Iris murice picta ſinus*
*Fulſit ſumma ſuper ſummi faſtigia templi*
*Eminus arcanas eiaculata faces.*
*Inſolitos miratur hiems ignara colores,*
*Non ſua mirantur lumina ſolis equi.*
*Credite mortales delapſum ex æthere Diuum;*
*Signatum multa luce reliquit iter.*



Digitized by Google

## IN AEDES SACRAS D. CAROLO extructas in Aronæ Monte.

*QVÆ noua ſe ſpecies offert? noua templa ſub auras*
*Ardua conſurgunt, mons vbi nudus erat.*
*Sponte ſua videas rupes accedere templis,*
*Saxaq; in acrium proſiluiſſe iugum.*
*Et decuit, cum condiderit tot Carolus olim,*
*Inſtauratori ſurgere templa ſuo.*

## DE IISDEM. Ad Nautas Verbani Lacus.

*VEliuolas quicunq; rates, & ſuppara ſoluis,*
*Verbaniq; lacus nauita verris aquas,*
*Æthereas viden vt noua lux delapſa per auras*
*Vicinis radiet ſparſa cacuminibus.*
*Natales venerare lares, monteſq; beatos:*
*Carolus hic tenero vagijt ore puer.*
*Carolus auguſtam tenet hic præſentior aram,*
*Puppibus hæc miſeris ara ſalutis erit.*
*Verbani Rhodos hæc, qualis Pharos altera ponti;*
*Vna viam cælo dirigit, vna mari.*

## FIDES CATHOLICA.

*CHriſtiadū genitrix, & Chriſti vera propago,*
*Diuorum felix Mater, alumna Dei,*
*Septenis animata ſacris, firmata Piorum*
*Sanguine, cæleſtum non niſi diues opum,*
*Tu veri monitrix, tu ſeruantiſsima recti,*
*Sacrorumq; tenax indubitata fides:*
*Romanum tu rite doces agnoſcere Patrem,*
*Claudere qui cælum, qui reſerare poteſt.*
*Tu gremio Chriſti veros complexa nepotes*
*Attingis vaſtam ſolis vtramq; domum:*
*Europam non te contagia fuſa per omnem,*
*Non ſtygius potuit contemerare furor:*
*Lacte tuo ſoboles nutrita ad ſydera ſurgit,*
*Creuerunt cæli Numina lacte tuo:*
*Te ſine præcipites truduntur ad impia ſontes*
*Tartara, mortali te ſine nulla ſalus.*
*Sol qui terrarum luſtras opera omnia, quidnam*
*Romana maius relligione vides?*

## B. Ignatij Loiolæ Conuerſio.

*PRimus in aduerſos ſe fert Ignatius hoſtes,*
*Primus & armatos demetit enſe globos.*
*Fert animus ſuper ire minas, ſuper ire ruinas,*
*Nobilis & certas funeris ire vias.*
*Feruet & horriſono generoſam turbine dextram*
*Impetijt tonitrum glans imitata Iouis.*
*Protinus exanimis reuoluto corruit armo,*
*Corruit hoſtili fulmine victa manus.*
*Cæleſti ſic Saulus ouans eſt ictus ab ira;*
*Hæc quoq; ſe cælo fulmina miſſa probant.*

## AD D. CAROLVM.

QVod genitor, quod frater adhuc mea cura ſuperſit,
Alter mentis inops, ſaucius alter erat;
Quod morbo obſeſſus vitali perfruor aura,
Carole debetur munus id omne tibi.
Hanc tabulam facti memorem tibi Carole pono,
Audiuiſſe meas te docet illa preces.
Aſt tabulam voti memorem fors deleat ætas,
Ex animo non te deleat vlla dies.

## CHRISTVS EXCLAMANS.
Quare me dereliquiſti?

SOlus ego patrio viduatus amore relinquor;
Anne tuam ſobolem deſeris alme pater?
Quin alios plectis, alijs qui iuſtior vnus?
Nonne iras alij promeruere tuas?
Forſan vbi in noſtrum caput omnē exhauſeris irā,
Fulmina nulla tibi ſint reliqua in reliquos.

## CHRISTI CRVCI AFFIXI.
Effigies.

EN Solyma informi nimium Deus arbore pēdet,
Artificiq; manu te rediuiuus adit.
Cerne tibi tacitis blandiri vt nutibus ardet,
Viſus in amplexus currere velle tuos.
Brachia contraheret, quò te vinciret imago,
Sed fugere amplexus te videt illa ſuos.



Digitized by Google

## EADEM AD MORTALES.

Aſpice mortalis proprio quem ſæue necaſti
　Crimine, vt immani vulnere pectus hiat?
Exclamare licet, viuit morientis imago,
　Et mortem in tabula viuere poſſe datur.
Exanimem manus artificis ſpirare vetauit,
　Hocq; datura etiam, ſi voluiſſet, erat.

## CHRISTVS FLAGELLIS CÆSVS.

Dum ſæuis lacerant diuinos faſcibus artus,
　Hirſutiſq. premunt tempora dia rubis;
Obtendit vittas oculis imitatus Amorem,
　Neſciat vt noſtra vulnera facta manu.
Sæuit adhuc lictor, plagam nec reſpicit vllam:
　En odio notus quam benè factus amor.

## AD D. CAROLVM pro Fratre.

Carole, cuius opem præſenti numine ſenſi,
　Cum miſero inſtaret non reditura dies,
Cuius ope extendit vitalia ſtamina frater,
　Et coiere mei vulnera ſæua Patris;
Votiuas ſi non tabulas, nec carmina ſolui,
　Ne, quæſo, immeritas reſpue Diue preces.
Pallentem reuoca leti de limine fratrem,
　Quem plus his oculis diligo, & hac anima.
Numinis eſt miſeros perſæpè audire vocantes,
　Eſt hominis voti ſæpius eſſe reum.



Digitized by Google

## DE LVCE IN ARONIANIS Montibus exorta.

SI quando ſuperi æthereis labuntur ab oris,
Clareſcit felix orbita luce noua.
Talia nimirum ſequitur veſtigia lumen,
Oſtenditq; ſacros ſemita clara pedes.
Quis neget, inuiſat patrias quin Carolus oras,
Verbanus liquidis qua ſpatiatur aquis;
Credite mortales: præſens hic Carolus aſtat,
Oſtendit numen lux manifeſta ſuum.

## DE RE EADEM.

O Qui cærulea Verbani laberis vnda,
Luce noua radians ſuſpice nauta iugum.
CAROLVS hic colitur, ſcopuloſq; inuiſit auitos,
Vnde tuas præſens adiuuet aura rates.
Neſcio quos fratres Pollucem, et Caſtora clamas,
Hunc, bene ſi ſapias, in tua vota voces.

DE

## DE ARONIANIS Sacellis.

*Inſubrum ſedes dominas, vbi mœnia Aronæ,*
*Verbanusq; Pater prouocat Oceanum ;*
*Arx munita ſitu, nullis violabilis armis*
*Surgit in acceſſo conſpicienda iugo :*
*CAROLVS hic cæli vitales prodit in auras,*
*Condita naſcenti proxima templa vides.*
*Par fuerat, fuerit cum nobilis ará ſepulchrum,*
*Natale vt fieret nobilis ara ſolum.*

## DE IISDEM.

*Omnia non omnino fuit mentita vetuſtas*
*Thabana iactans mœnia ſtructa lyra ;*
*Dum tibi natiuis ſurgunt in montibus aræ,*
*Ad muros properant CAROLE ſaxa tuos.*
*Iurares ad templa vltrò reptantia ſaxa*
*Ire ad fabriles obſequioſa manus.*
*CAROLE virtutum ſymphonia mira tuarum*
*Templa tibi poſuit, fabula vera fuit.*



Digitized by Google

## DE NATALI SOLO D. CAROLI.

AVreus in ſuperas vbi Carolus exijt auras,
Ambigitur ſedes, ambigiturq́; locus.
Tantane tam magni tellus dubitabere partus?
Natalis meritò ſit ſine honore domus?
Quid ſæclum inſipiens natalia limina quæris?
Numinis? an numen gignere terra poteſt?

## DE ARONIANIS SACELLIS, & Federico Borromæo.

DVm multa de nocte vigil Federicus ad aram
Excubat, ante oculos CAROLVS emicuit:
Tum ſtatues mihi templa meis in montibus, inquit,
Lucis vbi tetigi limina prima meæ.
Ilicet oſtendit natiua cubilia rupes,
Signauitq́; locum lumine quemq́; nouo.
Fas manibus Federice tuis noua templa locari
Vſquè adeò Superis hæ placuere manus.

## DE B. VIRGINIS CAPILLIS.

*VT lux naſcatur radijs melioribus, abde*
*Phœbe tuos crines, exere Virgo tuos.*

## DE VIRGINE DEIPARA.

*DIuinis Virgo tumuit cùm fetibus, inſit*
*Nata Deo Genetrix en Genitoris erit.*
*Cum puero ſugenda parens dedit vbera, dixit*
*Altricem Altoris me licet eſſe mei.*

## DE FEDERICO BORROMEO contra luxum concionante.

*INſolitò tonitru cæleſtia templa videntur*
*Miſceri, in luxum dum FEDERICE tonas.*
*Incæpit luxus diſciſſo incedere amictu*
*Luxus egeſtatis palluit inuidia.*
*Delitias damnant odio maiore Tyranni,*
*Delitias damnant quos Stygis horror habet.*
*Sic quæ ſola Deo fuerat penetrabilis olim*
*Orantem ſedes audijt, & gemuit.*



Digitized by Google

## DE EODEM DIE SACRO Circumciſionis concionante.

*DVm magno expreſſum puero Federice cruorē*
*Exprimis, heu lachrimas elicis ex oculis.*
*Diriguit populus, ſaxoq; ſimillimus hæſit,*
*Audenti ſaxo lædere membra Dei.*
*Parcè Pater tanti deſcribere funera regis,*
*Te dicente dolor funera quanta dabit?*
*Quantas diluuium lachrimas diffunderet illud?*
*Diluuium fletus gutta cruoris agit.*

## AD GENERIS HVMANI Seruatorem Chriſtum.

*CHriſte parens, viden vt mea mēs cōtabuit oīs;*
*Nam mea mens tantum languet amore tui.*
*In te oculos vnum intendit, te deperit vnum,*
*E nutu pendet mens mea tota tuo.*
*Mens mea te nunquā refugit, te ſemper anhelat,*
*Viuit enim tecum, te ſine viſa mori.*
*Ne vitam ſine mente traham, ſine pectore corpus,*
*Redde mihi mentem, vel tibi pectus habe.*

EIDEM

Digitized by Google

## EIDEM.

CVlpatum ſic Chriſte nefas odiſſe videris,
Transferis vt cælo tartara ad ima nefas.
Si te Chriſte mihi potuere auellere culpæ,
Diuulſum, quæſo, te mihi iungat Amor.
Nam cælo te ſolus amor detraxit ab alto,
Vincula non refugis, quæ tibi nectit Amor.
Diuiſi fuimus, ſed amor nos fecerit vnum,
Si refugis, noſter vincula nectet Amor.

## IN ORATIONEM FEDERICI Borromei habitam in die feſto Epiphaniæ.

HEu cæcas hominum mentes, mortalibus ægris
Nulla propè eſt verum noſcere cura Deum.
Impius Herodes ſtudio maiore rogauit
Multa ſuper Puero, ſidere multa ſuper.
Balthaſar ignotas ſtudijs maioribus arſit,
Vt magica ſolers diſceret arte notas.
Mortalesq; ſuum piget, heu, perquirere numen:
Sic humana premit pectora torpor iners?
Quod ſi fortè Deum nequeunt audire loquentem,
More Dei fando tu FEDERICE tonas.



Digitized by Google

## AD EVNDEM CVM CINGVLVM D. Caroli Senas dono mitteret.

Signa pudicitiæ Senis FEDERICE dediſti
(Cingula) diuini quæ patruelis erant.
Talia cum Senas miſiſti dona? pudicos
Vis Senas mores mittere? mitte tuos.

## IN NOVVM SACELLVM.

Ecquid id eſt? totum video diſcedere cælum,
Et multa in terras numina ferre pedem?
Aetherea facies, culparum neſcia turba,
Aethere labuntur, mœnia noſtra petunt.
Ecce pudor niuea prætendit lilia dextra,
Virginumq; ingens ſe comitatus agit.
Cælicolum Regina venit, procumbite terris
Mortales: lambit candida luna pedes.
Virgineos humeros nitido ſol cingit amictu,
Et duodena ambeunt Virginis aſtra caput.
Quònam tendis iter? ſtabulum fuit ante lupanar,
Quod ſubis, hoc cœli regia facta noua eſt.

De eodem

## AD FEDERICVM BORROMEVM.

INſubriæ Federice parens, lux aurea morum,
Ne caſtum procul hinc verte ſupercilium;
Luxuries ſuis hic multos dominata per annos,
Tartarea huc miſit turpia monſtra domus.
Sed venias, tua namq; pudor veſtigia calcat,
Conſpectus fugient turpia monſtra tuos.

## AD EVNDEM DE RE EADEM.

COmmiſſi tutela gregis fidiſſime cuſtos
Hæc etiam caſti ſepta tuere gregis.
Infernus lupus hiſce lupas incluſerat antris,
Et rabido miſeras ore vorarat oues;
At tu cælicolum defendis ouilia Regi,
Caſtra facis luxus caſtra pudicitiæ.
O noua Paſtoris virtus: ſeruatur in antro,
Inter et inſidias geſtit, ouile, lupi.

## DE D. CAROLO PEDES Pauperum abluente.

CArolus ex animo labes, dum membra lauaret,
Terſit: aquę virtus hęc fuit, illa manus.

## DE EODEM.

CVr plãtas lauere hoſpitibus vult Carolus, ingẽs
Cum calor exundet pectore, tractat aquas.

DE

Digitized by Google

## DE SACROSANCTO CLAVO, quem in frenum Imp. Conſtantinus conflarat.

*CVſpis equum frenat, quæ iam frenarat Ieſũ;*
*Vt ſit in immiti cuſpide mitis equus.*

## DE EODEM.

*AVctorem vitæ clauus cum figeret, hoſtis*
*Pro clauo clauim vidit, & ingemuit.*

## DE SANCTISSIMA CRVCE.

*TArtarei poſthac nè quis tremat ora Draconis:*
*Crux caput obtriuit. nunc vbi virus erit?*

## DE EADEM.

*MOrs fugit extinctũ, Crux vt malè nota pate-*
*Et fugitura omnes, ne latitaret, erat. (ſcat.*

## ALIVD.

*VIuimus è ſacro mortales ſtipite, nondum*
*Mortalis viuens ſtipite ſtipes erat.*



Digitized by Google

## DE PARTV DEIPARÆ.

SE formare Deus mortali in imagine quondam
Arſit, & in dia Virgine finxit opus.
Dat ſimiles oculos oculis, atq; oribus ora,
Par propè corde fuit, par propè mente decus.
Miratus ſecum viſus in imagine fixit,
Autorem fallens traxit at illa ſuum.
Tum præſente Deo ſe bis animauit imago,
Vna habet expreſſas viuida forma duas.
Credite veridico mortales, credite, vati,
Natus enim innata eſt, inq; parente parens.

## DE D. IACOBO HISPANIARVM Tutelari Numine.

IN niueo Jacobus equo nunc fulminat armis,
Qui remo æquoreas ſollicitabat aquas.
Inclytus eſt bello, ſuetus piſcatibus olim,
Altus equo vehitur, qui rate vectus erat.
Pro calamis iacula emittit, pro retibus haſtam,
Nunc metus eſt Mauris, piſcibus ante metus.
Jnſtruxit ſe ſe cæleſtibus armamentis;
Militia ex illa militat ille Deo.
Et miremur adhuc, cum pro te militet æther,
Si terra, & toto vincis Jbere mari?

DE

## AD EVNDEM.

DVm morreris ſol occiduus, dum naſceris ortus:
Te tenet, & variant vitaq; morsq. vices.
Ortu facta tuo fertur plaga clarior ortus,
Occidua occaſu ſic plaga facta tuo eſt.
Altera in occaſu, lux altera haberis in ortu,
Et vario in mundi cardine lux eadem.
Quàm bene diuerſis mutas loca ſedibus, eſſes
Eos ut Eois, Heſperus Heſperijs.

## DE SACROS. CRVCE.

CEcropij qui mella ſenis felicia laudat,
Arboreis opibus præferat ille Crucem.
Auricomos ſileat frondenti ex ilice ramos,
Nec canat Heſperidum ſic radiare nemus.
Pullulat humanum genus arbore, pullulat vna,
O quantas ſterilis parturit arbor opes?

## DE EADEM.

PEndentem complexa Deum quæ ſuſtinet arbos,
Hæccine ab æthereo cardine miſſa fuit?
Iactat vbiq. nouos diuinæ lucis honores,
Balſama deſudat, nectare tota fluit.
Talia populeæ fudere electra ſorores,
Talis Cumææ bractea vatis erat.
Tartara cæca tremunt, Deus ipſe amplectitur illā,
Circumſtant ſuperi. Quis putet eſſe Crucem?

ALIVD.

## ALIVD.

*VIdit vt Auctorem rerum conſidere trunco,*
*Et lateri arboreo conſociaſſe latus:*
*Erubuit cælum, terraq. inuidit honorem,*
*Contempſitq́. ignes, ſydera clara, ſuos.*
*Tantus honos ramis, & triſti gloria trunco,*
*Tantaq́; ſanguinei gratia roris erat.*
*Cuſpide tergemina totidem quaſi fulgurat aſtris,*
*Sanguine Crux, veluti murice tota rubet.*
*At tu mitte precor terris tua ſidera cælum,*
*Proq; tuis ſignis accipe ſigna Crucis.*

## DE CAELITIBVS.

*POntificum ſubducit opem mors nulla piorum,*
*Mors vt Pontifices auferat, oſſa manent.*

## DE SACRIS CINERIBVS eorundem Diuum.

*VNde datur cineri ſtygium terrere tyrannū?*
*Eſſe cinis diuum dicitur ergo poteſt.*

## DE MAGIS REGIBVS Chriſtum recens natum quærentibus.

*EOi ſubito viduati ſidere reges*
*Cernere promiſſam non valuere domum;*
*Irrita ſed cecidit quærendi cura, nihilq;*
*Profuit ignotas ire, redire vias.*
*Vt tamen affulſit mæſtis Heroibus aſtrum,*
*Tangere ſignato tramite tecta dedit.*
*Fortunata cohors ſtella, Pueroq; recenti:*
*Dux fuit hic vitæ, Dux fuit illa viæ.*

## DE D. SEBASTIANO.

*TE quoque transfodit telorum ſilua Sebaſti,*
*Et tua ferratum membra tulere nemus.*
*Defuerat tantis membrorum copia plagis,*
*Inq; tuo nullum corpore corpus erat.*
*Mille vides ictus, mille uno in corpore mortes,*
*O quantis Chriſtum teſtibus ille probat?*



Digitized by Google

## IN AVREAM CRVCEM D. Carolo oblatam.

Aſpice; vt aſpectet ſacrum Crux aurea buſtū,
Lambere ſubiectum gemma ſuperbit opus.
Hinc caput inclinans oneroſo prominet auro,
Fulgurat hinc multa Iaſpide fultus apex.
Crux ſapis, & verum demiſſior arguis aurum,
Aurea ibi viuunt facta; ſed aura perit.

## IN ÆDICVLAM D. STEPHANI.

Ne mirere humile, Stephanū cū ſaxa necarint,
Ædiculam Stephani tangere ſaxa timent,

## DE D. FRANCISCO Crucem Domini baiulante.

Fert Chriſti Frāciſcus onus, nec Chriſtus id olim
Latius ſi tunc ille fuiſſet, erat.

## DE EIVSDEM IMAGINE.

Affectum plagis dum pingere vellet Ieſum,
Franciſcum pinxit pictor, & obſtupuit.

## IN FARINAM D. CAROLI percuſſorem.

TV nè piæ lumen voluiſti extinguere gentis
Impie? ſacrilegæ nec cecidere manus?
Quo fugis, ah demens, dabitur fuga nulla ſaluti,
Vt vacet Indiacas corripuiſſe vias,
Non ſi pennigero rapiaris in aera dorſo,
Non cita ſi volucres mouerit ala pedes.
Imminet emerito merces, Deus imminet vltor,
Hoc vltore tibi, quo tua terga dabis?
Ecce manet fortuna manum, quæ tela rotauit:
Voluitur illa rota, volueris orbe rota.

## AD D. MARTYRES.

ILluſtres animæ nos inclyta facta ſilemus,
Pro vobis poſſunt vulnera veſtra loqui.

## DE TEMPLO MAXIMO.

INſubriæ dominam dum ſol circumſpicit Vrbem,
Huc ſe deluſus præcipitare parat.
Agnouit tandem templum, retroq; receſsit:
Crediderat cœlum, numina dum numerat.

DE

## DE D. IOANNE BAPTISTA.

*QVam benè Ioãnes titulos complectitur omnes,*
*Totus honos, totus gloria, totus amor.*
*Ille Dei miros princeps denuntiat ortus,*
*Et pia diuina dogmata voce tonat,*
*Ille etiam culpas deterſit ab vrbibus omnes,*
*Laureolamq. ſuo ſanguine clarus emit.*
*Et numeremus adhuc qui ſint Ioannis honores?*
*Sanguine vt eſt Chriſto proximus, eſt titulis.*

## DE EODEM.

*POſtremus vatum mortalibus editur auris.*
*Vltima cum claudat tempora, primus erit.*

## IN EANDEM SENTENTIAM.

*EXiluit paruus materna natus in aluo,*
*Cum ſtetit ante domum numine plena parens.*
*Alterno pueri diffundunt gaudia motu:*
*Ignotos inter ſiccine notus amor?*



Digitized by Google

## DE ANGELO MICHAELE, & Antichriſto.

*Terra grauis ſeniò quem Chriſti miſerit hoſtem;*
*Ille tuo Michael ſtratus ab enſe cadet.*
*Iam fatale fuit caput horum abolere malorum;*
*Et fatale tibi eſt hoc abolere malum.*

## D. AGAPYTVS MARMOREVS.

*Aſpice Dædaleo crepitantes marmore flãmas;*
*Quas modo ſacrilegæ ſuppoſuere manus.*
*Hic totos moriens torquetur Agapytus artus;*
*Et numen placido lumine ſpirat adhuc.*
*Marmora & abſumant forſan ſpirantia flammæ;*
*Igne ſed abſumi marmora dura negant.*

## CASTIGATVM A SE CORPVS alloquitur.

*Exuit immanes domiti Leo pectoris iras,*
*Exuit oblita cum feritate minas.*
*At tu corpus iners non vllo flecteris vſu,*
*Verberaq; indomitum nulla domare queunt.*
*Subtraxi quoties mollis tibi pabula luxus;*
*Et noſti rigidas in tua damna manus:*
*Non tamen aſſuetos potis es deſueſcere mores;*
*Quominus obſequimur pluſnè tumoris habes?*
*Sis licet indomitum, certè his domitabere flagris,*
*Atq; vbi nulla quies, pęna erit vna quies.*

DE

Digitized by Google

## DE D. IO. BAPTISTÆ OBITV.

HOrrida Ioannem ſiluarum luſtra petentem
E multis auſa eſt lædere nulla fera:
At vbi deceſſit ſiluis, atq. attigit Vrbes,
Crudeli cęſus vulnere procubuit.
Proh pudor? ad ſiluas mortales cedite, ab ipſis
Præſtabit mores edidiciſſe feris.

## FRAVS IN EVNDEM.

REx Erebi, dum vult Ioannem abſumere ferro;
Inuenit tales callidus arte dolos:
Fraudibus aſſuetus pulchræ induit ora Puellæ,
Artifices mouit regis ob ora pedes;
Tum Rex promiſit ſaltanti quæq; puellæ,
In uiſum tolli flagitat enſe caput.
Tartareo quid Rex promittis talia Regi?
Hac ideo ſaltus edidit arte ſuos.

## DE EODEM.

MVtus erat genitor, loqtur dū naſcitur infans,
Si vox clauſa fuit, debuit anne loqui?

## IN FILIAM HERODIS.

NON ſatis impulerat ſcelerata libido Puellã?
Infandos matris contemerare toros?
Ni ſacro inficeret crudelem ſanguine terram,
Diuinumq; fero poſceret ore caput.
Nempe vocat ſociam ſecum culpa altera culpam:
Dum vitia hæc quiſquam parturit, illa parit.

## DE ANGELORVM MINISTERIO in conficiendo manna.

CÆlicolæ vaſtas ſolymis luſtrantibus oras
Mutato ſubitas rore dedere dapes.
Cælicolis quas non epulas condire licebit?
Aut vbi non cibus eſt, ſi vapor ipſe cibus?

## DE S. RELIQVIIS A FEDERICO Borromeo tranſlatis.

SAcra quid inuentis patuerunt oſſa ſepulcris?
Sub tanto cerni Principe nempe volunt.



Digitized by Google

## DE D. PROTHASIO.

QVA nimium dira mactaris cæde Prothaſi,
Illa tibi vitam ſuſtulit, atq; dedit.
O quam certa tuum ſanauit lancea vulnus,
Credita Pelidæ lancea talis erat.
Siccine mortalem te te periiſſe putandum eſt?
Viuere quid precor eſt, ſi periiße tuum eſt?

## AD D. MARTINIANVM.

IN numerum mortalis adhuc veniſſe Deorum
Diceris ob mores Martiniane tuos.
Quos cœlum titulos, quæ digna vocabula Diuo
Addis, an hoc maius quod dare poſsit, habes?

## DE D. AVXANO.

AVxano felix Inſubria ciue ſuperbit;
Prouocat & ciues Roma ſuperba tuos.
Quod ſi Roma potes titulos imponere Diuum,
Et diuos didicit gignere noſtra ſuos.

## DE D. MARTINIANO.

QVæ tibi conſtituunt miranda trophæa, tuliſti
Tunc quoq; depulſis Martiniane Getis.



Digitized by Google

## DE D. PROTHASIO.

NOn vno cur nam tumularis honore Prothaſi?
Mors tibi pro Chriſto non fuit vna ſatis.

## DE EODEM.

VT ſenior Cęlo veſcatur, veſcitur herbis:
O malè paſte ſenex, ſed benè pulſa fames?

## DE D. CALIMERIO.

Vincula, dum rapitur ſoliū Calimerus ad altū
Oderat, ad cędem ſi rapiatur, amet.

## IN CIRCVNCISIONIS diem.

AVdebisnè Dei corpus violare? tui ne
Audebis Domini lædere membra ſilex?
Ah nimis infantem penetrabile frigus aduſsit,
Auctoremq. ſuum ſæua momordit hiems.
Parce precor Puero, naturamq. exue duram.
Quid loquor? Immo animos exue dure tuos,
Exue mortalis, Tu tanti vulneris auctor:
Parcere vis ſilicem? parce vir eſſe ſilex.



Digitized by Google

## DE D. CÆLITIBVS.

FVnere conſumpti multo poſt funera viuunt;
Ne morerentur enim, ſic voluere mori.

## ALIVD.

VNanimes ſe ſe cineres poſt funera iungunt;
Cæleſtes inter quam benè viuit amor:

## DE D. CALIMERO.

GRæcia naſcentem ſuperas emiſit in auras;
Vrbs hæc Pontificem te Calimere creat:
Hinc eſt orta ſeges laudum Calimere tuarum,
Maxima dum Paſtor quæq; pericla ſubis:
Græcia vt exurgas, geminetq; Inſubria Diuos;
Inſubriæ ciues accipe, mitte tuos.

## DE EODEM.

QVI nunc præſenti ſpectatur numine Paſtor;
Inuitus noſtra lectus ab Vrbe fuit:
Ille reluctanti tantum ceruice tiaram
Reppulit, & forti terq; quaterq; manu.
Quod niſi vincla forent nolenti iniecta, pararat
Attonitus celerem præcipitare fugam.
Poſt decus hoc numerare piget, quæcunq. peregit;
Pro cunctis unum ſat ſibi noſſe decus:

## DE EODEM.

DVM Pater infames Calimerus verteret aras,
Et mentita diù tot ſimulacra Deum:
Impia turba furit, minitatur funera Cæſar,
Nec terrere minis illa, nec ille queunt.
Impie nequidquam Calimerum vincere tentas?
Vis animum illius frangere? frange tuum.

## ALIVD.

QVã circumfuſis Calimerus gaudet in vndis?
Amne natare ſuo ſic videatur olor.
Quamuis ſaxorum contunditur ictibus, vndas
Ille ſalutares ſuadet vtraq. manu.
Solueret vt pretium plagarum grande ſuarum,
Reddere vel moriens has voluiſſet aquas.

## ALIVD.

QVãm bene perfruitur leto, plagiſq. cruentis
Obrutus in medio funere victor ouat.
Depoſcit gladios, ſaxis delibat amatis
Oſcula, vulneribus paſcitur ipſe ſuis.
Nullus ita aſſyrio perfundi gaudet amomo,
Conſpergi florum non ita nube iuuat.
Lætitijs poſthac ſi vis incedere tantis,
Et ferrum, & lapides hos Calimere voca.

DE

Digitized by Google

## DE SACRIS RELIQVIIS.

DEgeneres animas, poſſeſſaq; corpora morbis
Vidimus, oſſa quibus ſacra tuliſtis opem.
Illæ cõſpecto mortem euaſere ſepulcro,
Hæc pariter morbi deſeruere graues.
Currite mortales, Calimeri tangite corpus.
Illius attactu mors quoq; viua foret.

## ALIVD.

ABnegat antiqua Calimerus ſede moueri,
Ire ter incipit, ter reuocauit iter.
O niſi dilectas eſſet rediturus ad aras,
Hoc nunquam diuus vellet abire loco.

## ALIVD.

HI cineres magnis nos eripuere periclis,
Quos ara impoſitos irradiare vides.
O quoties ſæuas belli auertere procellas,
Erepti quoties obſidione ſumus.
Non adeo vaſtis defenſa Inſubria muris,
Non Iouis indomita fortior arce fuit.
Nil opus immenſis tutari mœnibus vrbem,
Pro tutis tumulum hunc mœnibus vrbis habes.

DE

Digitized by Google

## DE D. CALIMERO MARTYRE.

IMmani cum iam proſtratus cæde iaceret,
In medias Diuus præcipitatur aquas;
Sed quid in exiguas putei deuoluitur vndas,
Demergi proprio ſanguine ſi potuit?
Obruitur puteo, ſæuis prius obrutus armis
Credibile eſt illum bis voluiſſe mori.

## DE EODEM CONCIONANTE.

MArmoribus dũ ficta tonas in numina lingua,
Marmora ceù glaciem diſſiluiſſe ferunt.
Si tantum ſola potuiſti in tartara lingua,
Credimus ò quantum te potuiſſe manu?

## DE S. CÆLITIBVS VRBIS Mediolanenſis.

ECquid opus multo clareſcere lumine Diuos?
Vulnera ſunt totidem lumina, flamma cruor.

## ALIVD.

NOn opus eſt peregrè lõginquas ire per Vrbes,
Plurima ſi quæras numina, plura vides.



Digitized by Google

## ALIVD.

ASTra ſuperfulgent cæli pro Rege cadentes;
Sors nimium fælix. hoc cecidiſſe fuit?

## ALIVD DE IISDEM.

SAnguine de veſtro facile eſt texiſſe corollas,
Creditur in rutilas ſanguis abiſſe roſas.

## DE D. CATHARINA Virgine, & Martyre.

NVper ad Aonias fudi vota irrita muſas,
Neſcius Heroos hiſcere poſſe modos.
Cum duplices tibi Virgo manus Catharina tetendi,
Non tacitas dura reſpuis aure preces.
Iam calami, iã tarda manus, iã carmina inundant,
Vix capit acceptam mens agitata Deam.
Ilicet excutio magnum de pectore numen,
Neſcio quid ſolito maius hiare feror.
Hanc ego Calliopen, vatumq. agnoſco parentem;
Lac etenim moriens vatibus illa dedit.

DE

## DE S. CAROLO, ET CAROLO V.

QVOD caput innumero cinxit diademate Quintus
Carolus, armata fregit & arma manu,
Itala barbaricæ gemuit terra æmula terræ,
Feta olim imperijs, robore feta Virum,
Terrarum non ferre metus, non fulmina belli,
Et ſeſe indoluit degeneraſſe ſibi.
Ilicet incubuit diuinum enixa Nepotem
Diſpare in ingenio nomine nacta parem.
Mox ait, obijcias mihi nunc Germania Quintum:
Qui mihi primus erat nonne ſecundus erit?

## AD D. IOANNEM BAPTISTAM.

CVR puer ante Deũ mortales prodis in auras?
Vt mortalis amet forſitan eſſe Deus?
Cur cadis ante Deum crudeli cæde peremptus?
Anne vt amet tecum promptior ille mori?
Ergo Deus naſci te non naſcente Joannes,
Nec poterat te te non moriente mori.

## IN HERODEM.

CVr adeò pueri tete natalia terrent?
 Vſq. adeò tenera eſt permetuenda manus?
Non ætas diadema capit, non dextera ſceptrum;
 Non facit ad pueri purpura molle natus.
Heu hominum mens cæca uidet, mẽs prouida neſcit:
 Arguit eſſe Deum, qui negat eſſe timor.

## IN DIVI CELSI VIRGINEM.

VIrgo cui Celſi ſurgit de nomine templum,
 Quo templo Inſubriæ læta ſuperbit humus:
Virgo potens, alibi quæ non præſentior vſquam,
 Vti faciunt muris dona relicta fidem:
Aſſueui ſi ſæpè tuam procumbere ad aram,
 Lycnus vbi aſsiduo regius igne micat:
Argento è ſolido ductis vbi fulta columnis
 Marmorea viuax redderis effigie:
Hunc morbum depelle manu, meq; eripe leti
 Faucibus, vt noxas ritè piare queam.
Hac deducta tenus labes mea vita per omnes;
 Nunc mentem in melius flectere diua paro.
Reſtitues animam ſeruato corpore, tollet
 Diſcrimen gemini funeris vna ſalus.



Digitized by Google

## DE CARDINALI ODOARDO Farneſio.

*DVM videt ex alto votiuum Carolus aurum,*
*Quo ſuperas Italum munera magna Ducum,*
*Atq; adeò æquaſti ſolus miracula Diui,*
*Talia gauiſo pectore dicta dedit.*
*Dum tanto mea buſta beas Odoarde metallo,*
*Agnoſco noſtras in te Odoarde manus.*

## AD B. IGNATIVM.

*ÆRE quid Ignati tantũ grauis eſſe grauaris?*
*Nudanè fert curis pectora nuda manus?*
*Non vacat à curis vacuus mortalis ab auro:*
*Qui parcit vitæ, non ita parcus erit.*
*Sed video cur diues obeſt tibi copia, & aurum*
*Cur dira peius tangere peſte times?*
*Indiga non auri mens eſt, paruoq; bearis:*
*Pectus egentis habes, pectore habentis eges.*

DE

## DE B. IGNATII TVMVLO.

*Vidit vt Hiſpano te Tybri tumeſcere trunco,*
*Talia ab auriferis fudit Iberus aquis.*
*Inuide gentilem mihi quid rapis inuide ſolem?*
*Volueris heu fuluis ambitioſe vadis.*
*Inſolitas ſpumas felici margine gemmas*
*Cœnoſo voluens ante fluenta pede.*
*Ille ego defraudor felici inglorius ortu,*
*Quam peperi lucem Romula iactat humus.*
*Sis licet exuuijs, ſis Tybri elate ſuperbis,*
*Dũ tamen à me habeas, quicquid honoris habes.*

## DE INDVVIIS D. IO. BAPTISTÆ.

*O Pellis nimium felix, cui tangere corpus,*
*Diaq; Ioannis membra fouere datum eſt.*
*Quantus erat ſyluis villoſo indutus amictu?*
*Quantus erat ſpolium cinctus inane Puer?*
*Scilicet exuuias humeris circundabat olim*
*Venator, ſi quam ſtrauerat enſe feram:*
*His puer edomuit mortales pellibus artus:*
*Venator cæli ſcilicet ille fuit.*



Digitized by Google

## DE CÆDE EIVSDEM.

*IOannem regina vouet dum tollere ferro,*
*Mille modis tentat funera, mille vijs.*
*Nec potis indignæ cauſam prætexere morti.*
*Inſolita tantum ni ſcelus arte premat.*
*Inſtruit in ſaltus natam, ſimul inſtruit aſtu,*
*Innocuum vt ſaltu flagitet illa caput.*
*Cumq; popoſciſſet crudelem talia regem,*
*Pro ſaltu exciſum tradidit eſſe caput.*
*Quid non ſæua poteſt audacia? mors vbi non eſt?*
*Si ſaltus etiam funera ſæua datis?*

## AD D. VIRGINEM.

*O Natum mihi flecte parens, o nate parentem:*
*Nate beare potes ſanguine, lacte parens.*

## AD EANDEM.

*TE miſeris placare decet Regina tonantem:*
*Sanguis eras noſter, ſanguis at ille tuus.*

## AD EANDEM.

*QVid non virgo potes ſummi regina tonantis?*
*Imperio regitur, qui regit aſtra tuo.*

DE

Digitized by Google

## DE EADEM.

VIrginis ad faciem mortales ſiſtite greſſus:
Nonne ſalutanda eſt, quæ fuit orta ſalus?

## DE EADEM.

VIrginis ora vides, cur non quibus aurea cæli
Gens oculos paſcit, paſcis & ipſe tuos?

## DE CATHECHISMO.

IN lucem mentis regina, & luminis auctor
Nata Deo; veri prodit amica parens.
Illa prius nebulas, & inania nubila vatum
Diſpulit, exemptum reddidit illa diem.
Diſcite Chriſti cola, vobis promittit Olympum.
Vos ſeruate fidem, ſeruet vt illa fidem.



Digitized by Google

## AD PVERVM IESVM.

*Sole o clarior, ætheriſq. ocellis,*
*Lacte o purior, & nouis pruinis*
*Auro carior, Indiciſq; gemmis,*
*Meæ deliciæ, mei lepores,*
*Meum cor, mea lux, meum leuamen,*
*Tu noſtris penitus ſedes medullis:*
*In te mens inhiat, tuoſq. vultus*
*Ardet cor ſitiens meum tueri:*
*Mel dulce ſine te merum venenum,*
*Fel vitam ſine te, merumq. letum.*
*O ſi viſceribus meis lateres,*
*O ſi me miſerum ſemel beares,*
*Nunquam te paterer meis medullis,*
*Nunquam viſceribus meis reuelli.*
*Tum vero mihi clarus æſtimetur*
*Sol obſcurior, ætheriſq; ocelli,*
*Aurum vilius, indicæq; gemmæ.*

# AD PIVM MVTIVM CASSINENSEM AFFINEM MEVM.

ET affinitas noſtra, ob quam magnifice me circumſpicio, Muti vir optime, nec minus litterarũ, quàm virtutum fama celeberrime, & genius ipſe carminum, quæ tuo nomini cenſui nuncupanda, poſtulat, vt hic alter Epigrammatum liber tibi inſcribatur. Multas enim patriæ noſtræ commendationes, multa magnarum animarum præconia continet, quarum tu certè princeps haberis. Quare cum videbis hæc mea ſcripta ciuium noſtrorum laudibus referta creberrimis, efficere non poteris, quin meos quoque verſiculos clementer adſpicias. Mihi certè ſatis poſteritati feciſſe videbor, ſi meam in pa-



Digitized by Google

triam pietatem, in ciues obſeruantiam, in te ipſum voluntatem hoc quamuis tenui teſtimonio comprobauero. Tu nugas haſce meas, qua ſoles beneuolentia, & humanitate ſuſcipe; & qui meam in ſcribendo incuriam noſti, ne quis aſperior in me cenſor inſurgat, iterum, atq; iterum mone.

BE-

Digitized by Google

# BENEDICTI SOCIACI AMBROSIANI COLLEGII DOCTORIS.

## Epigrammatum Liber II.

### LACVS VERBANVS.

*INſubridum Verbane potens regnator aquarum,*
*Nereides vellent quo latitare Deę:*
*Oceani imperium ſpatioſa per æquora præfers,*
*Spumiferisq. volas per tua regna rotis.*
*Neptuno ſi forte ſuum defecerit æquor,*
*Rex poterit Regni degere parte tui.*



Digitized by Google

## ARX FONTANA.

ASpicis indomitis turres conſurgere ſaxis:
Aſpicis armatum deſuper arce iugum:
Fontanus poſuit tot propugnacula Princeps,
Nè fortè Italicas Rhætia vertat opes.
Nunc flammas, nunc tela vomunt lethalia rupes,
Et tormentorum fulmina monte tonant:
Ac dum fulmineis boat obluctata metallis
Arx, & inacceſſo facta ſuperba ſitu,
Iuppiter, exclamat, linquas malè tuta Typhœo
Sidera, regnabis tutior Arce mea.

## AD IOANNEM BAPTISTAM COVM.

ELyſijs dum fama recens illabitur oris,
Manibus & doctis nuncia vera refert,
Inſubria in magna Coum clareſcere Vatem,
Nomina qui Subrum non peritura canat.
Lætatur Cous tanto cognomine Homerus.
Et tu lætitia Coë Phileta ſalis.
Hunc vocat hæredem rediuiui ſanguinis, huncq́.
Carminis hæredem poſcit vterq; ſui.

AD

## AD ZOILVM.

QVod doctum ceruice mea dependeat aurum,
Inuidia rumpis Zoile triſte iecur.
Nec potes infelix nocturnos carpere ſomnos,
Cogeris & madidos ducere felle dies.
Carnificis ritu vexat præcordia liuor,
Nec potes hunc fictis diſsimulare genis.
Ne rumpare tamen, nudo numiſmate collum,
Numiſma in reſtim Zoile vendo tuam.

## DE CAROLO MONETA.

TIcini dum tecta ſubit Cyllenia Proles,
Obſtupuit viſa, Carole, fronte tua,
Obſtupuit ſecum tacitus, virgamq; remittens
Paciferam, ſtupida pertulit ire manu.
Carolus elapſum geſtamen nobile dextræ
Corripit, & tacito porrigit inde Deo,
Atq; ait. I, mutos animes hoc vimine manes,
Non tua virga mihi, ſed mea lingua ſat eſt.



Digitized by Google

## ARONA, ET ANGLERIA.

ADuerſa ſurgunt, & mole minantia ſecum
Oppoſitis certant Oppida bina iugis.
Hinc picturatum iactas Angleria marmor,
Hinc cælo eductas tollis Arona domos.
Anguigenas tulit illa Duces, dominataq; ſceptra,
Hæc Borromæos parturit vna Duces.
Iunge Duces Ducibus, confer cum marmore tecta
Angleria, hæc frænum quod tibi ponat habet.

## GROPELLVM.

AN domus ęthereis celſum caput intulit aſtris,
Iuppiter anne tonas inferiore Polo?
Noſtra fatigantur laſſato lumina viſu,
Et longa hæreſcunt non ſatiata mora.
Omnia terrarum domus hæc miracula vicit,
A Domino tantum vincitur ipſa ſuo.

## IN AVCTOREM HISTORIÆ Ruſcarum.

*EGregij manes Ruſcarum (ſiqua beatum*
*Elyſij potis eſt vox penetrare nemus)*
*Stirps præclara virum, præclara ſtirpe ſuperba,*
*Et clarus claro ſanguine ſanguis oua:*
*En veſtri generis pars non damnanda Rubertus*
*Eripit inuiſis ſtemmata veſtra rogis.*
*Reddit & hic vobis aliam poſt funera vitam,*
*Vnius eſt ſcriptis tota renata domus.*
*Iuppiter æternis vt vos demerſerit vmbris,*
*Vos qui reſtituit Iuppiter alter hic eſt.*

## DE EODEM. Alluſio ad Nomen.

*REx fruticum Ruſcus, dumoſæ gloria ſyluæ*
*Quam gaudet dominas explicuiſſe comas?*
*Exiguus quamuis montes dominatur in omnes,*
*Oſtentatq; ſuas ambitioſus opes.*
*Inſultat plebi nemorum, turbæq: minori;*
*Hunc tremit arboreum, ſed quoq; vulgus amat.*
*Quid meruit claua Alcidæ, quid nobilis Argo*
*Vt fierent ſuperæ ſidera clara plagæ.*
*Sidera ſi poſſent frutices, dumiq; mereri,*
*Æterno Ruſcus ſidere dignus erat.*



Digitized by Google

## MEDIOLANVM.

IN ſubrum Regina feror, feror altera Menphis,
Parthenopes clara maior & Vrbe feror.
Exiguo præ me populoſa Lutetia gyro
Cingitur, imperij nunc prope facta caput.
Quid totum quatuor metiris partibus orbem?
Ingens terrarum pars ego quina forem.

## TEMPLVM.

### Eiuſdem vrbis maximum.

MArmoreum miraris opus, ſola ſtrata niuali
Marmore, marmoreis culmina fulta iugis:
Hanc fuit Inſubriæ fabricata potentia molem,
Æmula Romulidum par opus auſa fuit.
Non alio potuit Pantheon ſurgere faſtu,
Ductaq; fatidico Delphica templa Deo.
Cælicolæ terris vellent ſi degere, ſola
Cælicolis ſedes hæc habitanda foret.



Digitized by Google

## CASTRVM IOVIS.
### Ibidem.

*PEruia barbaricis Inſubrum regna cateruis,*
*Mœniaq; hoſtili procubuere manu.*
*O quoties rubuit Ticinus ſanguine noſtro,*
*Funeribus quantis Abdua triſtis ijt?*
*Non tulit vlterius tantos Inſubria caſus,*
*Debellaturum ſidera ſtruxit opus.*
*Hoc non terrigenæ poſſent excindere fratres,*
*Tuta minus Ditis turris ahena foret.*
*Quam bene ſemouit cælum ſibi Iuppiter. Arx hæc*
*Dirueret proprior regna ſuperba Iouis.*

## LEVCVM.

*NEC minus Inſubriæ dicam florentis ocellũ,*
*Abdua qua placidis exſpatiatur aquis,*
*Hoſtibus Adriacis non expugnabile Leucum,*
*Leucum Procomitis nobile ponte Ducis.*
*Hic Mediceis turgeſcunt ſaxa trophæis,*
*Sanguine barbarico plena fluenta calent.*
*Nulla tamen tellus felicior vbere glebæ,*
*Bacchus amat colles, iugera culta Ceres.*
*Extruxit natura locum, natura beauit.*
*Pro cunctis vna nunc quoq; ſede ſedet.*



Digitized by Google

## IN STRVMAM.

*IVppiter, oro tuas terris procul auehe menſas;*
*Hic ſtruma eſt, pereas Iuppiter ipſe fame.*

## EVPILIS.

*NOſse quid antiquam veſtigas Eupilin vrbem,*
*Pandit vbi liquidos Eupilis ipſe lacus.*
*Murorum vaſtas moles, & tecta domorum*
*Ardua vicini ſorbuit vnda lacus.*
*Nuſquã relliquias Vrbis, & nomina noſcas;*
*Eupilis ignoti nominis vnda manet.*
*Vſqueadeò fortuna potens mortalia verſas;*
*Sic immota fugas, ſic fugitiua moues.*

## BIBLIOTHECA AMBROSIANA.

*NIliaci taceant Muſæum nobile reges,*
*Ante Paratonijs quod poſuere locis;*
*Nec quas hoſpitibus congeſsit Pollio muſis*
*Diuitias iactet porticus alta ſuas;*
*Quin Vaticanò conſurgens vertice ſedes*
*Ipſa ſuos faſtus erubuiſſe poteſt.*
*Omnibus inſultet mirabile Borromæum;*
*Sol etenim maius nullibi ſpectat opus.*

MA-

Digitized by Google

## MARONI.

SAlue delitiæ Maro Soſagi,
Pluſquam delitiæ tui Soſagi,
Meum mel, mea ſuauitas, meum cor.
Tene poſtpoſito placebit oſtrum,
Aut Regum triplices velim tyaras?
Tene luce frui queam relicto?
Ah regni pereat fames, & oſtri;
Et Regum pereant prius tyaræ,
Quam te luce frui queam relicto.

## DE POCVLO MONETÆ.

LInquite Pierios Vates, iam linquite fontes,
Stagnaq; Caſtalij deteriora lacus.
Inuitat Bacchea mei vos cella Monetæ,
Prouocat & Phœbum nobiliore mero.
Non alia Bacchus regnat generoſior aula,
Nyctileoq; madent omnia plena Deo.
Non vnum cyathus Phœbum dabit vnitus, hicq;
Sexcentis Helicon vatibus vnus erit.

## FONS LEYNATENSIS.

NYmphanũ domus, et manãtia fontibus antra,
Cæruleas ſtatio digna tenere Deas,
Mille refers luſus, iacularis mille liquores,
Dum Laberintheis truditur vnda viis.
Quot facies Proteus, & quot Panthera colores
Induit, innumeris fons imitaris aquis.
Talis & in varios Mæander voluitur orbes;
Talis dedaleum complicat error opus.
Nunc plumbo erumpens teretes ſinuatur in arcus,
Agmine nunc facto deſuper vnda fremit.
Aut fontem Vertumne doces has ſumere formas,
Aut potes à tanto ſumere fonte tuas.

## GROPELLVM.

ABdua torrentum furioſa turbidus ira
Riparum tumido verberat amne toros;
At Borromeas ſimulac pater alluit Aedes,
Subiectis latè quæ dominantur aquis;
Frangit adorato bacchantes littore fluctus,
Et gaudet Domini lambere tecta ſui.
Cui non Heroas Federicus habebitur inter?
Huius ad aſpectum rauca fluenta ſilent.



Digitized by Google

## IN VRBICVM.

ADuerſo ne crede virum recubare ſepulcro,
Nec muliebre genus, neuter, vterq; fuit.

## BARRA VRBS.

HEù nuſquam apparent veteris veſtigia Barræ,
Ductaq; regali mœnia celſa manu.
Barbaricis quondam poſſeſſam regibus Vrbem
Funditus annorum vis inimica ruit.
Et lamenter adhuc humana labaſcere membra,
Cum poſſint Vrbis mœnia celſa mori?

## IN ADONIN LEYNATENSEM.

DElia venatu nimio defeſſa ruebat,
Dedaleus Pyrrhi qua ſalit arte liquor.
Iam ſua direptis nudabat crura cothurnis
Collectos nodo mox poſitura ſinus:
Sed ſimul ac propius conuerſum vidit Adonin,
Hæſit, & inſolitis ignibus arſit amans;
Quin flammis agitata nouis expleſſet amorem,
Ni vetet æternus Virginitatis amor.
Inuitat tamen in ſiluas, comitemq; repoſcit:
Sed quibus interijt, vitat Adonis apros.



Digitized by Google

## ALIVD IN EVNDEM.

VT iacuit percuſſus apro formoſus Adonis,
Tranſtulit huc illum mota dolore Venus,
Et ſuper exanimem lachrimarum flumina fudit,
Vnde tot acceptas fons iaculatur aquas.
Accepit lachrimas, lachrimiſq; reuixit Adonis,
Aeternumq; ſuis viuere gaudet aquis.

## PLINIANVS FONS.

FOnte reluctanti refluentes vidit vt vndas
Neptunus, pelagi qui vada ſalſa domat,
Clamauit, noſtros quid fons imitare labores,
Clauduntur paruo cerula regna ſinu.
Iamq; nouo genitor iactat ſe Larius æſtu,
Numinaq; exiguo cedere noſtra loco.
Miraris pelagi curſus, pelagiq; recurſus?
Oceanum paruo fonte videre potes.

AD

Digitized by Google

## AD FALCONEM FVGITIVVM.

*ALituum felix, & gloria ſola volantum,*
*Ecquid Herum falco nunc malè caute fugis?*
*Tu conſors operis, fortunatiq; laboris,*
*Parſq; triumphorum maxima marte tuo.*
*Vallibus his ſortem cur vis mutare ſuperbam?*
*Nunc es fortuna transfuga falco tua,*
*Hoſtis es ipſe tui, fueras clariſſimus olim*
*Rex cum Rege tuo, nunc fera mixta feris?*

## TVMVLVS PHILOMELÆ.

*PIcta caput, maculiſq; leues interlita pennas*
*Ingenioſa ſuum carmen hiabat auis.*
*Illius attonita cantus nunc aure bibebam,*
*Et nunc attonitis auribus illa meos.*
*En noſtra tumulata manu iacet aggere florum*
*Aucta meis violis, fletibus aucta meis.*
*Forſan & in clauſo meditatur carmina ſaxo,*
*Inuida ſed cantus promere ſaxa negant.*



Digitized by Google

## DE VITALIANO VICECOMITE Borromeo.

Corniger Inſubriæ ſpumanti argenteus vnda
 Ticinus celeres concito lætus aquas.
Eſt amor Italiæ varias curſare per Vrbes,
 Italus Italiæ nuncia ferre paro.
Imperijs grauidam, fœtamq; potentibus armis
 Aſtreæ radijs enituiſſe domum,
Regalemq; noua ſtirpem frondeſcere lauru,
 Martia paciferis frondibus arma tegi.
Laureola cingit, dum tempora noſter alumnus,
 Efferor, & docta prole ſuperbus eo.
Plaude pater Tyberis, vultur quondã aſtitit auſpex
 Imperij, at cuſtos Inſuber anguis erit.

## DE EODEM.

Quid tantum toga docta latus ſepire laboras?
 Sæua decent fortes non niſi tela manus.
Ad validos tantum faciet lorica lacertos;
 Tu tamen hos humeros ambitioſa petis:
An patrijs genus hoc ad te deſcendet ab armis,
 Aſſuetuſq; ſago nunc volet ire toga?
Regius hic ſanguis fugiet diademata regum?
 Quæ manet ex iſta deſide palma toga?
Abſcio, cur ambire latus regale ſuperbis.
 Iura dabis terris, gloria iuris eris.

DE

## DE ANTONIO SCVLPTORE.

ANtoni veras facies dum marmore fingis;
Viuereq; in Diuos marmora ſecta facis;
Aſpectans rerum genetrix natura tremiſcit,
Totaq; commoto pectore terra pauet.
Antea inaſpectos natura ignara veretur,
Horreſcitq; ſibi creſcere terra Deos.

## AD EVNDEM.

ARtifici ſpirare facis tua marmora cælo;
Et facis Antoni marmora muta loqui,
Tartareoq; manus reuocat tua carcere manes,
Exanimeſq; animas poſt ſua fata viros.
Tunc quoq; , ad Elyſias cũ tu deſcenderis vmbras,
Vt viuat, poſt te viuere nemo velit.

## TVMVLVS HYELLI.

HErboreis dum forte thoris reptaret Hyellus.
Errantem temere vos pupugiſtis apes:
In teneros ſæua cum ſpicula mittitis artus?
Vipereo ſerpens mitior ore foret.
Heu vbi mortalis caſus, & funera vitet?
Melliferæ ſi vos funera fertis Apes.

## IN LABRVSCAM.

Quæ te barbaries extulit inclementia terræ,
Damnati vitis dura nouerca meri?
Num te perniciem ruris manus impia ſeuit?
An parricidæ ſanguinolenta manus?
Tu Bacchi opprobrium, menſæ lethale venenum,
Parturis Autumne noxia dona tuo.
Debueras terris ſcelus hoc auferre Lycurge,
Aut hoc exitium debuit eſſe tuum.

## IN TVCCAM.

Pigmæo ſimilis ſedes non deſeris vnquam:
An tu præda gruum ne rapiare, caues?

## DE NIOBE.

Miratur Niobem lachrymis humeſcere vates,
Indulget lachrimis dum maduiſſe lapis.
Exclamatq; trahens ſuſpiria pectore ab imo,
Cur lachrimis nequeo flectere fata meis?
Suadet Amor lachrimas, æternum flebimus ambo:
Natorum Niobe funera, fratris ego.

## LVCINVS CANTOR.

Flexanimos Lucinus hiat dum pectore cantus,
Dædaleoq; graues intonat ære modos:
Horrendo latè concentu templa reſultant,
Conſonat, & plaudens æthra, remugit humus.
Si tonitru accipias, tibi nec ſe ſe offerat auctor,
Vaſta Deum credas templa mouere melos.
Edere concentus iures reuolubile cœlum,
Si melica cœlum deſuper arte tonet.

## ALLVSIO AD STEMMA Claudij Rangoni Epiſcopi.

Natali Cytherea prius fuit edita concha,
Natalem concham nunc ſua buſta putat.
Vndè prius vitam duxit, nunc funera ducit,
Vndè prius partum, nunc habet illa rogum.
Parturit en caſtos Rangono Præſule mores.
Virgineumq; vehit Cypria concha decus.
Tutior in caſtis nunquam pudor excubat aris,
Nec ſub virgineo pectore tanta fides.
Vt pudor effugias bacchantes vndiq; luxus,
Ad quam confugias Cypria concha tibi eſt.

DE

Digitized by Google

## DE EODEM.

TE ſeptemgemino ſuſpirat vertice Roma,
Et cupidus toto Tybris ab amne vocat.
Quo trahis vſque moras? Phœbeſne incedere bigis
Expectas; an vis currere ſolis equis?
Tu potes Eridanum patria tranſcendere concha,
Vel tuo conchâ tu potes ire mari.
Tritones parere parant, Nymphæq; volentes,
Spumiferi cupiunt pone natare greges.
An dubitas, ne Roma tuo te murice donet?
Cingere te merito murice concha poteſt.

## DE STEMMATE
Philippi Archinti Epiſcopi.

IN liquidis eſt ſcriptus aquis Archintus, et hæret:
Materies ſcriptis facta perennis aqua eſt.

## AD SCIPIONEM BORGHESIVM
Cardinalem.

MOeonides graiũ numeris Agamemnona tollit,
Hæc vbi regali pectore dicta dedit:
Neſtora poſco mihi pro centum Aiacibus vnum,
Conſilij vires hoc potuere prius?
Aiacem ſibi centeno pro Neſtore reges
Nunc cupiunt, vires hoc potuere manus?
Nunc te Paulus habet pro centum Aiacibus vnũ,
Pro tot Neſtoribus te quoq; Paulus habet.

IN

## IN EVPHORIONEM, QVI PRÆLIO Marethonio ſtans expirauit.

*Euphorion Perſæ ſaturatus cædibus hic eſt;*
*Mortuus arma tenet, nec moriendo cadit.*
*Non bellatoris victricia tela remiſit,*
*Mors ſtetit in cædes ingenioſa ſuas.*
*Vincere bis potuit, cæſo ſemel agmine Perſæ,*
*Et potuit mortem vincere morte ſua.*
*Forſan & Euphorion bellum laturus in hoſtem,*
*Mortuus, in bellum ſi rediſſet, erat.*

## DE EODEM.

*Euphorion dum ſtaret adhuc extinctus in armis*
*Hæc voluiſſe reor, nec potuiſſe loqui.*
*Ne me cæſorum confundas Græcia turba,*
*Stamus adhuc bello, cætera turba iacet.*
*Parce mouere loco, ne ſis crudelior Hoſte:*
*Me perimit, nec me Perſa mouere poteſt.*
*Neue laborato ſimulachrum è marmore ponas;*
*Immotum corpus nobile marmor erit.*
*Nemo trophæa mihi ſtatuat de Perſide victa,*
*Vera trophæorum gloria corpus erit.*
*Exanimem bellaſſe virum cur deneget Ætas?*
*Stare fidem faciet; ſi mihi nulla fides.*



Digitized by Google

## DE HERCVLE ATESTINO.

AMphitrioniades veniat ſi talis in Oetam,
Et terræ domitor patria regna petat,
Qualis Ateſtinus reges ſupereminet Heros,
Qualis & inuicto pectore regna beat:
Ante nouercali Iuno quæ ſæuijt ira,
Diceret, Alcides ſum tua Iuno parens.

## AD MENOCHIVM.

ME recitare vetas epigrãmata longa Menochi,
Cleps̄idra ſed recitem diſtica longa monet.

## DE AGEANACE.

AGeanax, primis qui vix adoleſcere cæpit
Viribus, & nondum pingere pube genas,
Nuper ad incanum deductus Neſtora docto
Ingenij ſpecimen præbuit ore ſui.
Senſit Ariſtoteli ſimilem, ſimilemq; Maroni,
Subridenſq; graui pectore Neſtor, ait.
Agricolæ votis non reſpondebit auari,
Quæ nimium properat luxuriare ſeges:
Præcocis ingenij ſpes hic fraudabit, eritq;
Therſites ſenior Neſtor hic ante diem.
Excipit Ageanax. O quam puerilibus annis
Præcocis ingenij tu quoq; Neſtor eras.

## IN BARBARAM.

*Barbara non ceſſas ſtolidum exorare maritum,*
*Donet ut infanti nomina terna tuo.*
*Tergeminum puero cur vis imponere nomen?*
*Tergemino ſatus eſt an genitore puer?*
*Conciliare tuos potes uno nomine mæchos;*
*Dicatur mæchis omnibus Oarion.*

## IVLIVS CANTOR.

*Mercurius domuit duro tua lumina ſomno,*
*Vt tibi demeteret peruigil Arge caput.*
*Et pater Æneas medicata frugibus offa*
*Tartarei domuit turgida colla canis.*
*Nil opus his Iuli te te modulante fuiſſet,*
*Hauſiſſent cantus dummodo monſtra tuos.*
*Illa ſoporiferæ potuerunt vincere vires:*
*Cerberus ad cantus dormiat ipſe tuos.*

## DE VENERE ET MVSIS.

*Pellicit in luxum caſtas dum Cypria Muſas,*
*Caſta nec illecebris flectere corda poteſt;*
*Illa furens odijs puerum monſtrauit Amorem,*
*Atque ait, hic poterit corda domare puer.*
*Subriſere Deæ, quarum quæ maxima Clio*
*Hunc, ait, hunc Marti Diua minare tuo.*



Digitized by Google

## IN BOMBARDAM.

Quid iuuat infeſtis dextra inuiolabilis armis?
Cingere tergemino quid iuuat ære latus?
Si modo tartarei genus execrabile teli
Thyſipone in fortes eſt fabricata manus.
Non hoc Ætnæo formauit Lemnius antro,
Non Deus vſqueadeo ferreus ille fuit.
Certatim Eumenides dirum ſtruxere metallum,
Sterneret vt denſos fulminis igne globos.
Sub ſtyga trudatur vaſtatrix machina terræ,
Aut regnare alio Iuppiter orbe potes.

## IN OBITVM VIRGINIÆ Nandutiæ Maſsinij Coniugis.

INgenij felix, & feliciſsima morum
Maſsinij coniux occidit ante diem.
Italidum lux illa perit florentibus annis,
Non vnquam maius mors fuit auſa nefas.
Ille ſciens æqui mortem condemnat iniquam,
Arguit & magni criminis eſse ream.
Sed legum interpres Parcarum rumpere leges,
Ferrea nec mortis tollere iura poteſt.
Mors iniuſta nimis, periniquæ vos quoq; Parcæ
A tanto ſaltem diſcite iura viro.

ALIVD

## ALIVD.

*Illa ego Maſsinij quondam clariſsima coniux,*
*Muſarum cultrix, Cælicolumq; fui.*
*Attigeram nondum nonam trieterida, cum mors*
*Decerpſit virides heu malè cauta dies.*
*Nam mirata meum latè increbeſcere nomen*
*Me vixiſſe diu credidit, & rapuit.*

## FVNEBRIA IN OBITVM Com. Theodori Triuultij.

*Inclyte Belgarum domitor, Batauiq; rebellis,*
*Inſubriæ felix lux, Theodore tuæ.*
*Occidis, & vitam fractis quæ reddit* Iberis
*Dextera te fatis eripuiſſe nequit.*
*In medio dum Marte tonas cæleſtibus armis,*
*Et formidando fulminat enſe manus.*
*Fortiter occumbis lacerato funere victor,*
*Egregia properans claudere morte diem.*
*Murali cecidit tormento interritus Hæros*
*Tormento hoc Mauors ſed potes ipſe mori.*

ALIVD

## ALIVD.

STernitur igniuomis tormentis Inſuber Heros,
Quicum Mars timuit conſeruiſſe manus.
Innumeros virtute prius qui vicerat hoſtes,
Vincere non fati tela inimica poteſt.
Dum metit enſe globos, & funera mille relinquit,
Letifera victor glande petitus obit.
Quem tremefacta prius medijs mors fugerat armis,
Fulmine proſtrauit mors imitata Iouem.

## TVMVLVS EIVSDEM.

TV qui relliquias, & triſtia fata Triulti,
Et laceros artus, oſſaq; fuſa legis.
Hæc varijs diſperſa ſinas in partibus. Heros
Non vno meruit maximus orbe tegi.

## DIDO ÆNEÆ.

QVO fugis ah demens? ſi tu mea vita meũ cor,
Me ne fuga credis perfide poſſe mori?
Quo fugis ah demens? ſi tu meus impius hoſtis,
Viuere me dubitas perfide poſſe fuga?
Sed crudelis abis, mea nec tu fata dolebis:
Ah fuerit ſaltem nolle dolere dolor.



Digitized by Google

## IACOBVS MEDICÆVS.

ARmipotens Medix, bello imperterrita virtus
Sfortiadum minuit ſceptra ſuperba Ducū;
Quin, & Cæſareis infregit Saxonas armis,
Vidit & ante ſuos procubuiſſe pedes.
Sennenſes arces, Tuſcæ decora inclyta terræ,
Preſsit, & inſolito libera colla iugo.
Rhetica ſigna procul domitas auertit in Alpes,
Victrices Turcæ pertimuere manus.
Nullus erat Cæſar ſublato Medice terris,
Medix ſublato Cæſare Cæſar erat.

## MARINA MOLES.

HÆc quæ ſublimi ſuſtentat vertice cælum,
Vrbis & inſtar habet conſpicienda domus,
Oſtentat faſtus, & regna Liguſtica in vno
Principe, qui cælo nobile struxit opus.
Memphiticas etiam moles, & tecta laceſsit.
Ardua, Romulei quæ poſuere Duces.
Linquere ſideream propera Saturnia ſedem,
Hic tu ſiderea ſede carere potes.

## AD CHRISTOPHORVM CLAVIVM.

IVngis Ariſtoteli veſtigia proxima Claui,
Eſt tua mens magno proxima facta Deo,
Sideros luſtratq; orbes, cæliq; meatus,
Gaudet & æthereas peruolitare plagas.
Cæleſtes animi, cæli qui ſidera voluunt,
Se ſe animæ gaudent aßociare tuæ.
Si quando feſſos operum laſſaret olympus,
Ingenio credant aſtra regenda tuo.
Firmabis cæli titubantem mente ruinam,
Sidera ſi ruerent reſtituiße potes.

## IN OBITVM TORQVATI TASSI.

ECce nouis rident radijs cæleſtia templa,
Dum Torquate leui tendis ad Aſtra pede:
At reges Itali pullata in veſte gemiſcunt,
Teq; ſuum ſidus mæſta requirit humus.
Deflent æternum, ſi te deflere recuſat,
An neget à tanto vate relicta queri?
Dat lachrimas Helicon, lachrimas dare numina vellent
Pieridum, tumulo ſed iacuere tuo.



Digitized by Google

## GEMINI TRIVVLTIADÆ FF.

NE poſthac gemino placeas tibi ſidere cælũ,
Seu Polluce tuo, Caſtore ſiue tuo.
En totidem noſtro fulgeſcunt ſidera mundo,
Magna Triuultiadum ſidera nata domo.
Forſitan auratum liquere hæc ſidera cælum,
Aſtraq; ſunt numero facta minora ſuo.

## CATHERINA CANTONA

CVi diuum ingenium dedit indulgentia cæli,
Et Diuum facies ars animare dedit,
Inuida quam propria maiorem Cypria forma,
Quamq; opere obſtupuit victa Minerua ſuo,
Vt ſtellas imitetur acu, facieſq; Deorum,
Eſt noua ſiderea ſtella recepta ſinu.
Sed quoq; apud terras potuiſſet pingere cælum,
Inter mortales huius imago fuit.



Digitized by Google

## EADEM LOQVITVR.

GVius acus potuit poſt fata extendere vitam,
Stamina Parcarum vincere ſtaminibus:.
Fatorum domitrix, & victrix mortis iniquæ,
Digna polo, terra deteriore tegor.
Vitarum quæ fila ſecat Dea Parca cadentum,
Abrupit noſtros inuida facta dies:
Non tamen in dios mors eſt graſſata labores,
Victa meæ toties quæ fuit arte manus.
Scindere non poterat mortalia licia Clotho,
Ni caderem, vitas libera facta metit.

## DE CAPVTO.

NOſter, & Aonidū non vltima cura Caputus,
Nobile cum matris ſuſciperetur onus.
Protinus emoto viſum diſcedere cælum
Cardine, & innumeri deſiluere Dei.
Nec mora circumſtant teneræ cunabula prolis,
Et poſcunt puerum Numina quæq; ſuum.
Sed Deus exardens ſubito Semeleius igni
Applicuit teneris ignea labra labris,
Infantiq; ſimul complexus ſigna reliquit:
Nam Bromio ſimilis nunc quoq; mala rubet.



Digitized by Google

## IN MYRTETVM.

Felices aurarum animæ, Zephyreaq; turba,
Quæ pulchra Veneris Myrtea regna tenes:
Hic Venus armatum complectitur aurea Martem,
Amplexuſq; Dei gaudet inire ſui,
Ipſe ſuas mauors myrtetis temperat iras,
Feſſaq; bellorum puluere membra leuat.
Hic furor armorum miteſcit, & arma quieſcunt,
Myrtea dum denſis ſibilat aura comis.
Sternuntur viridi laſciua ſedilia myrto,
E myrto menſas, tectaq; finxit Amor.
Prouocat Idalium nemus hoc, formamq; locorum
A Dominæ forma myrtea ſylua capit.

## IN OBITVM FRATRIS.

TV moreris frater terris lacbrimãdus, et aſtris,
Qui fueras vita frater amabilior.
Tu moreris, tecumq; rapis mihi gaudia vitæ,
Vita mihi eſt grauior mortua morte tua;
Linquere nec potui me me, dum fratre relinquor,
Non abeo tecum, dum mihi frater abes?
Sed tua fata ſequar, non incomitatus abibis,
Si modo ego poſſum mortis imago mori.

## IN CLEPSYDRAM COLLEGII Ambroſiani.

Clepſydra metiris tantillo puluere terra
Scripta per immenſas ſempiterna plagas;
Lapſibus exiguis vaſtum producitur æuum,
E tenui vitro plurima fama manet.
Et tua arena fluens argenti donat aceruos,
Ingenio æternos donat & hora dies.

## IN DISCESSVM DECII Caraffę Cardinalis.

Vt vidit Roma Caraſſam abſcedere Tybris,
Et celeri foſſas exuperare gradu;
Attonitus querulo ſuſpiria miſit ab antro,
Moliriq; ſuo cœpit ab amne moras.
Illo vetaturus patria diſcedere ciuem,
Cedere pro patria ni vetuiſſet, erat.

## AD CARDINALEM BORROMEVM.

QVis poterit laudum ſeries æquare tuarum
Italici ſanguis nobilis Imperij?
Tu reuocas noſtro fugientes tempore muſas,
Muſarumq; recens diceris eſſe pater.
Tu ſpes humani generis, ſpes vltima rerum
Tu virtus, tu mens proxima facta Deo.
Sic veteres imitaris auos, ad ſidera ſurgis,
Laude Nepos Atauum, laude Nepotis Auus.
Vnus & exuperas maiorum facta tuorum:
Sed tua maior Auis gloria te minor eſt.

## DE EODEM, DVM TEMPLVM inuiſit.

INgredere ò Princeps auguſti limina Templi.
Tu Pater es Patriæ, nos tua progenies.
Fæmineum nec ſperne gregem, ſexumq; minorem,
Imperio floret ſexus vterq; tuo.
Maſcula fæminei ſexus eſt æmula virtus,
Fæminea at virtus æmula facta maris.
Ipſa mares animos aſſumit fæmina, vili
Pro facie mores comere quamq; iuuat.
Nunc labor eſt luxus, ſunt Chriſti dognata cantus,
Os noſtrum calathus, lingua putatur acus.
Nere fuit, nunc ſcire labor, ſunt, tela, libelli,
Edidicit mores fæmina, maſq; tuos.

## AD EVNDEM DVM CVBICVLVM noſtrum inuiſeret.

QVas tanto Princeps dignaris vertice ſedes,
Attonitæ vultus erubuere tuos.
Nec tamen exiguo Maieſtas Regia tecto
Clauditur, immenſas occupat illa plagas.
Non opus eſt vaſtam tibi Princeps ſurgere molẽ;
Namq; tibi cælum vix ſatis ampla domus.

## DE EODEM.

ROmanæ quoties vrbs hæc inuiderat vrbi,
Dum longè ſuperet, quem videt illa Patrẽ.
At vultus Federice tui dum paſcit honores,
Nil, ait, inuideo iam tibi Roma tuum.
Nec fallor; nobis Pater eſt hic alter, & illi
Tam ſimilis Patri, quàm Pater ille ſibi.
Jam non diſſimilis ſimili ſub Principe Roma,
Romaq; nunc gemina eſt, dum geminatur honos.
Quod ſi poſterior fuit hæc iam Roma priore,
Iam per te pæne eſt facta priore prior.

AD

## AD ANTONIVM OLGIATVM.

*ANtoni placidos curarum in turbine vultus,*
*Nullaq; tranquilla nubila fronte tenes.*
*Fluctus vt à fluctu, velut vnda impellitur vnda,*
*Et tantum aſsiduè concita ſtare poteſt:*
*Otia ſic tibi ſunt numeroſa negotia rerum,*
*Triſtitia frueris, paſceris ipſe malis.*
*Adde tibi curas, ſi fors meditare quietem.*
*Et tibi plena quies dum tibi nulla quies.*

## IN FRENVM INSIGNE Federici Borromęi Cardinalis.

*INfrenes populos frenabit Roma, ſed ollis*
*Imponet populis cum tua frena ſuis.*

## IN HVMILITATEM Eiuſdem Inſigne.

*INfera Regna premes, patrij vis ſtemmatis hæc eſt.*
*Hoc etiam Chriſtus nomine victor erat.*

AD

Digitized by Google

## AD EVNDEM DVM COLLEGIVM Nobilium Adoloſcentum inuiſeret.

SVmme Nepos Diuûm, Sacrorum maxime Princeps
Romuleo ceruix proxima facta Patri.
Quis te ſuaſit amor noſtris veſtigia tectis
Ponere, & exiguos ore beare lares?
Aſpectu ſubito Domini domus aucta ſuperbit,
Lambit & attactos ambitioſa pedes.
Et licet erubuit nullos oſtendere muros,
Lux tua murorum veſtit vtrumq; latus.
Nobilibus ſe fruſtra alias iactauit Alumnis,
Nobilis aſpectu non niſi facta tuo eſt.

## IACOBO MAINOLDO Senatus Principi.

REddideret vt fratrem mihi ſic Aſtræa roganti,
Reſtituet qui me, iuraq; reſtituit.
Reſtituit iura ille quidem, ſed non mihi fratrem
Reſtituit: piget ſæpe rogaſſe Deam.
Ad te confugio, dic veri certus Apollo,
Quo fratrem fratri tempore reſtituet?
Hic mihi te facilem iurauit Apollo futurum,
Veridicos tandem fac Mainolde Deos.



Digitized by Google

## AD PETRVM CANTONVM.

Dum tibi ſidereum deſignat Iuppiter orbem,
Rixatur magna ſeditione Polus.
Ipſa ſuas propere ſedes Aſtrea relinquit,
Debetur noſtris ſedibus Arcas, ait.
Ignipedes ſe clamat equos permittere Phœbus,
Et duodena parat crinibus aſtra tuis.
Accelerat, qui tardus erat, ſua plauſtra Bootes,
Teq; ſub Arctoa ſiſtere ſede parat.
Inſolito reſonat cæli plaga tota tumultu,
Cantonum ſocium ſidera quæq; vocant.
Iuppiter exclamat, quid vos properatis, Olympi?
Quæ citò promeruit ſidera, ſerò petat.

## AD GAVATIVM de eius Inſignibus.

Ictibus innumeris, & agreſti falce reciſum
Audaci vires robore robur agit.
Scilicet erumpunt cæſo de cortice rami,
Multaq; de multo vulnere gemma tumet.
Sic etiam ſæuos tulit ante Gauatius hoſtes,
Et ſæuo ereptas turbine ſenſit opes;
Sed tandem erexit caput eluctatus in auras,
Et retulit forti pectore ſtemma ſuum.
Sic furor hoſtilis, ſic fata inimica iuuabant:
Dextera non poterant fata probare virum.

## IN INSCRIPTIONEM
## libri eiuſdem.

*Sidera quæq; vocant oculos, & lumina cæli,*
*Femineos oculos ſidera bina vocant.*
*Sidera dic oculos, oculos dic ſidera, in vno*
*Mille vides oculos, ſidera mille vides.*
*Quos oculos Argus, quæ ſidera geſſerat Atlas,*
*Vnius inſigni condidit arte labor.*
*Si numeres tamen hos oculos, aut ſidera, terris*
*Nec ſupereſſe oculos, vlla nec aſtra putes.*

## IN OPPIDVM CÆNOMANORVM.

*Hos caput inuiſum ſuperis inuade malignos*
*Cænomanum ſilices, ſi cupis eſſe ſilex.*
*Bęoto iures enatos aere ciues,*
*Caucaſeis iures proſiluiſſe iugis;*
*Ingenio torpent, & obeſo ſanguine creti,*
*Eſt lapides animis gens imitata ſuos.*
*Ferrea non tantum ſunt guttura, ferrea vox eſt,*
*Silueſtresq; ſonant barbara verba feras.*
*Ipſa ſuos luxus magalia tecta fatentur,*
*Conſpecto tecti culmine pauper eris.*
*Ipſe ſuos mores oſtentat Ciuis amictu,*
*Vnius audito nomine truncus eris.*
*Hanc ſimul inuiſam ſuperis penetraueris vrbem,*
*Mox à ſaxoſa ſaxeus vrbe redis.*

IN

Digitized by Google

## IN TITIANVM.

F*Vmoſam cur ſemper oles Titiane culinam,*
*Regales & opes, & tua regna putas?*
*Quid mihi cum regno, cũ faſtu, & regibus, inquis,*
*Dum valeam lumbis, gutture, ventre, manu.*
*His equidem valeo, nec opus mihi ſyrmate regum,*
*Qui valeas? ſi ſic nil Titiane vales.*

## IN CINNAM, QVI VATI aures vulſerat.

H*Oc verum eſt doctas vulſiße licentius aures*
*Neſcio quem, crines & violaſſe tuos?*
*Hoc vates meruere? dabit mala dextera pœnas,*
*Et cura nobis vltio vatis erit.*
*Armatus ſævis ſcelus hoc vlciſcar Iambis,*
*Carmine ſcindetur perfidus ille meo.*
*An quiſquam nobis impune inſultet, & aures*
*Vellicet? heu iuſto corda dolore fremunt.*
*Aſpicis hæc, nec Phœbe moues tua tela, nec arcus?*
*Cur tua torpeſcit ſegnis, inerſq; manus?*
*En adeò inuentus, vatis qui tangere crines*
*Audeat, & duris lædere pollicibus,*
*Nec cecidere manus, totoſq: exaruit artus*
*Impius? Eſt numen quod manus illa ferit.*

SOM-

Digitized by Google

## IN SOMNIA.

CVM mihi defeſſis obrepſit ſomnus ocellis,
Maiori videor carmen hiare ſono,
Cum mihi ſollicito vigilantur pectore Sennæ,
Muta mihi preſſis faucibus ora ſilent.
Inſtat iniqua quies operi, labor ipſe quieſcit,
Irradiant tenebræ, nubilat ipſa dies.
Sic vigilant ſomni, ſtertit vigilantia, vatem
Inuitum faciunt ſomnia vana ſuum.

## DE ANTONIO GEORGIO BESVTIO.

DIceris arma maris tractaſſe cruenta Georgi,
Antoni lingua perdomuiſſe feras.
Hinc nomen geminum, & duplices oſtendere Diuos
Arte parat linguæ, martis & arte parat.
Nomen habet geminum, dupliceſq; Beſutius artes,
Quaq; refert linguæ munia, quaq; manus.

AD

Digitized by Google

# AD MATHEVM VALERIVM CARTHVSIANVM.

TIBI certè Valeri præſtantiſs. & iaminde à primis annis aſsidua mihi ſtudiorum, & animi coniunctione gratiſsime, non habeo excuſandam diu carminum iſtorum tenuitatem, cum ſcias alia ſubitario quodam impetu effuſa, nata in ſinu tuo alia, alia vacillãte talo, & gracillimo gutture emiſſa, cumque hanc imbecillitatem corporis noſtri flebilibus interdum querelis proſequerere, quoties à te ſeductus in Buſlauriæ tuæ ſeceſſum animi remiſsionem peterem, meq; e morbo grauiſsimo, quo tribus ab hinc annis opprimor recrearẽ. Quòd niſi valetudini potius inſeruiſſem, quàm Muſis, magiſq; ſollicitus de ſalute mea, quam de fama fuiſſem, mortem, quæ meum in collum prope inuaſerat non

eua-

Digitized by Google

euaſiſſem. Quare mihi vehementius Aeſcu-lapij fores pulſatæ ſunt, quàm Apollinis, Hygiæq. ſacrum feci relligioſius, quam Thalię. Neq; enim animo valere poteram, ſi corporis valetudine carerem, neq; rem cum nouem ſororibus habere, cũ bellè non haberem. Tu ſanè nihil laborabas, niſi vt ſaluus eſſem, ſalutiq; meæ, poſthabita curarum tuarum mole, cõſulebas, malebasq; in dies videre me firmiorẽ, quã doctiorem. Nunc igitur id a te peto, vt cũ in aliquẽ incideris moroſiorẽ, qui meis verſiculis obloquatur, admota repẽte manu os obſtruas, eoq; vultu libellum hunc meum accipias, quo me non hoſpitem, ſed prope conuictorem tuum excepiſti. Tum ſanè nihil te fieri poterat humanius, nihil noſtri amantius,

# BENEDICTI SOCIACI AMBROSIANI COLLEGII DOCTORIS.

## Epigrammatum Liber III.

### AD FEDERICVM Borromeum Cardinalem.

*Oppida dum luſtras, dum Paſtor ouilia curas*
*Ruſtica, dum reficis diruta templa Deo:*
*Ne quęcumque tuis cecini penetralibus altus*
*Sacrorum domino ſperne ſupercilio.*
*Quo ſpectas vultu agricolas, dignabere vatem,*
*Namq; aliter vatem videris agricolam.*

## AD HIERONIMVM
### Ceuturionem.

VErſiculi graciles, ægroq; ſimillima vati
Progenies, macie ſtirps imitata patrem:
Parcite, vos partu vates temerauit acerbo,
Veſtra grauis morbus fingere membra negat.
Si formam cupitis, Phœbo notiſsima ceruix
Centurio vobis conueniendus erit.
Hic turpem faciem, laceros ſanauerit artus,
Huic artes vni ceſsit Apollo ſuas:
Vitales dabit ille dies, quos ipſe negaui,
Veſtrum aliquis dicet, turba renata ſumus.
Hic vere pater eſt, nec ſe iactauerit alter.
Hicq; autor vitæ, funeris ille fuit.

## AD LECTOREM.

ILluſtres nequis numeros, ne verba requirat,
Scribuntur nitido carmina culta die.
Illaudata vides, incultaq; carmina lector:
Gignere ſic fetus nox ſolet atra ſuos.

## IN DIEI LAVDEM.

AVrea progenies ſolis, genitrixq́; laborum,
Quæ noctis varias inuariata vices;
Aera nocte ſua clauſum tu luce recludis,
Decolor vnde tuo Terra colore rubet:
Quæq; carent vita, radijs vitalibus afflas,
Limen idem vitæ, limen habeſq; necis,
Nocturnamq́; fugas procul irrequieta quietem,
Surgis inoccidnis ortibus, orta cadis.
Vltima nox homines, vbi nox ſemel excidit, vrget,
Cum ſæpe occideris, tu redis orta, dies.
Quis ſperet bis poſſe mori, bis ſperet oriri?
Dum moreris, properas lux oritura mori.

## DE HOROLOGIO.

HVccinè mortalis ſolers audacia creuit?
Metiri ſuperas edidicere plagas.
Perpetuos cæli metitur machina curſus,
Ars ità celeſtes eſt imitata plagas?
Æquus inæquali libratur pondere plumbus,
Qua ſimul implicitum mole rotatur opus:
Certaq́; ſignificat tinnitu tempora certo,
Voluitur impulſu dum rota quæq; ſuo.
Quid natura tuos oſtentas Ætheris orbes,
Ars habet orbe ſuum ſi breuiore diem?



Digitized by Google

## IN HORARVM ANTIQVARVM Curioſum.

*DVm tu Clepſydrā, dumq; horam noſſe laboras,*
*Nec Clepſydra tibi, quaue ſit hora patet:*
*Peliaci longæua ſenis præteruolat ætas,*
*Hæc ſenior ſenio Neſtoris hora fuit.*
*O quantos hæc hora dies, noctesq; fefellit?*
*Tu ſcrutare horas, ſed bonus annus abit.*
*Surgentem tete hora tenet, tenet hora cubantem,*
*Hac æſtas minor eſt, hac minor ibit hiems.*
*Quo trahis vſq; moras? potuit te ſoluere fatum,*
*Et ſuprema quies, dum labor hora tibi eſt.*

## IN OBITVM VINCENTII MAGNANI cui recentem Lauream mors immatura præcerpſit.

*SIccinè puberibus Vincenti carperis annis?*
*Non ea materni vota fuere ſinus.*
*Mutantur ſubitis virtutum præmia pœnis,*
*Eſt poſtrema tibi, quæ toga prima fuit.*
*Pro thalamo tumulus, pro ſella triſte pheretrum,*
*Tectaq; pro lauru mæſta cupreſſus habet.*
*Exequijs plauſus turbatur, gaudia luctu,*
*Flebile fit funus, quæ modo pompa fuit.*
*O inhonorus honos, ingloria gloria? nam dum*
*Incipis eſſe aliquid, deſinis in nihilum.*



Digitized by Google

## IN EVNDEM.

IN numeros Macedo mundos inhiarat, & ultra
  Terrarum fines arſerat imperium.
Te Magno Magnum parem natura creârat,
  Cuius adhuc famæ non ſatis orbis erat.
Mors tamen inſeruit regnis cœleſtibus, & quæ
  Pællæo iuueni regna negarat, habes.
Et tibi contribuit, quos illi dempſerat annos.
  Magnus vterq; oritur, puber vterq; cadit.
Nimirum Magnis ſors eſt properata duobus,
  Inſuber vt teneat ſidera, ne Macedo.

## IN EVNDEM.

EN clamoſa tibi mutatur curia cœlo,
  Sidereaſq; fores, non fora cæca petis.
Pacifera non ire toga, ſed ouantibus alis,
  Scandere non populi roſtra, ſed aſtra iuuat.
Sella curulis erunt æterna ſedilia cœli,
  Aurea lux capitis, laurea iuris erit.
Te ſuperum nunc agmen habet, non turba reorum,
  Ciuica dediſcis, cœlica iura ſapis.
Quam bene Vincentimanis conſultor Olympi
  Conſuluiſſe homini, conſuluiſſe Deum.



Digitized by Google

## DE FRANCISCO ALCIATO.

*DVm veſtrae decus Inſubriae periiſſe gemiſco,*
*Nec pudet Aonios exululare locos.*
*Flebilis obſcuro Phoebus caput extulit antro,*
*Tune meae quaerens funera prolis? ait.*
*Cum tamen inſtarem conqueſtu incendere Caelum,*
*Sic Aſtraea meis queſtubus aggemuit.*
*O utinam caros poſſem confundere manes,*
*Siccine conditio mortis adempta mihi eſt?*
*Quis non incuſet ſuperos, quis ſidera damnet?*
*Dura quibus mors eſt non potuiſſe mori.*

## AD TARQVINIVM Gallucium.

*CVm poſſis ſacri magni tubas aequare canendo,*
*Regiaq; in Tragico ſyrmate fata queri;*
*Exiguo nimis Elegiaco te claudere gyro,*
*Ingenium minuat ne tua fama meum.*
*Maior in Heroas quamuis audacia nobis,*
*Non minus ingenii, plus ſed amoris habes.*
*Quid tamen Heroo prodeſt te cedere verſu?*
*Si tua auena tuba eſt, ſi tuba auena mihi eſt.*



Digitized by Google

## DE HYERONIMI CENTVRIONIS Dorleidæ.

*ÆThereas Macedo ſi Rex revocetur ad auras,*
*Siq; legat liguris nobile vatis opus:*
*Inuideat vatem tibi Dux Fontane canentem,*
*Atq; alius Regis viſcera liuor edat.*
*Vate tuo felix Fontane vocaueris Heros,*
*Mæonide felix quam fuit Æacides.*
*Quin etiam exclamet, ſi ſors ducenda duorum,*
*Non erō Pelides, dux ego Fontis ero.*

## AD BERNARDVM BAVHVSIVM, cum ſua Epigrammata miſiſſet.

*CVm tererem tua ſcripta manu, verſuq; bearer,*
*Phœbe, inquam, vis me reddere? redde parem.*
*Increpuit dictis non mollibus ille merentem*
*Immemores vellens ter quater auriculas.*
*Inſiſto tamen his votis, librumq; fatigo,*
*Nec tantas iuuat heu diſsimulare moras.*
*Tandē ego, da ſimiles, da Phœbe effingere verſus,*
*Ni ſimiles potero fingere, raptor ero.*

## IN TYPOGRAPHIAM Ambroſianam.

FOrtunata ſacris prela incumbentia cartis,
Æternum æterna poſteritatis opus:
Diuinorum operum ſeges vndè vberrima ſurget,
Debitus ingenijs nec morietur honos:
Impreſſum cartis Federici emittite nomen,
Omnibus impenſis ſæcula docta vehit.
Cudetur quæcumq; typis felicibus, vnum
Auctoris nomen pagina fronte gerat.
Et merito merita Herois monumenta loquentur,
Extinguit veterum qui monumenta vetat.

## ALIVD IN EANDEM.

AMphitrioniadem iactat tumefacta vetuſtas
Aſpera pugnaci monſtra necaſſe manu:
Hæc ſtudium Federice tuum mirabitur ætas
Inuiſa nimium libera barbarie:
Ille nec Inachiam tantùm ſurrexit in Hydram,
Nec ſic Mænalium dilaniauit aprum,
Quantus Barbariem contrà conniteris Heros
Prodigiis purgans ſæcula noſtra ſuis.
Nunc tua docta manus æterna volumina ſudat,
Nunc emit æternis præla voluminibus.
Alcides confer geminos: Hic conſulit orbi
Maximus auſpiciis Palladis, ille Iouis.

IN

Digitized by Google

## IN SOMNVM.

*Somne, ſoporiferis qui grata cubilia ramis,*
*Feſſaq; letæo lumina rore quatis:*
*Eiá agè ſolue tuo luctantia lumina nocti,*
*Aufer & inuiſi tædia longa tori.*
*Traximus inſomnem reuoluto corpore noctem,*
*Nec venit infuſo ſole petita quies.*
*Quid tibi tam refugo, quid tardis imprecer alis?*
*Excubias Argus, quas prius egit, agas.*

## DE CONVIVIS

*Conuiuæ cupiere tui non mandere piſces;*
*Inter piſciculos ſed natitare tuos.*

## IN DIODORVM CLAVDVM, & Balbum.

*Rector es, an Rhetor iuuenes Diodore regẽdo?*
*Cum malè crura regas, non mihi Rector eris.*
*Nec tamen es Rhetor Diodore, an Rhetoris hoc eſt*
*Horis vſquè decem dicere verba nouem?*



Digitized by Google

## IN OLLVM.

SI cupis vndiuagos calamis eludere piſces,
Arma teres liquidis inſidioſa vadis.
Eià agè pro calamo longum effer in aera naſum,
Inſere naſutæ linea fila trabi.
Hinc trabe pendentem ſinuoſo ſtamine prædam,
Iliset hac miſeros luſeris arte greges.
O quantum exitium fluuialibus imminet vndis!
Curret ad ignotos cærula turba dolos.

## DE LÆLIO.

LÆlius arte noua verſus vult pingere, pingit,
Scribit opus nullum, pictor inumbrat opus.
Pagina diſplicuit veterum, placuere colores,
Priſcus Apollo minor, ſordet Apelle nouo.
Vaſcula pigmenti, non docta volumina promit,
Eſt pennicilli gloria pro calamo.
O ſpes famæ exſpes, innomina nomina, iners ars!
Eſſe homo vult aliquis, ſed mihi nullus homo eſt.

## IN BONFILII CARMINA.

INfelix opus, & docta ludibria pubis
  Carmina Bonfilius nos peritura parit.
Informes fetus properauit peſſima mater,
  In lucemq; mala pignora luce dedit.
Obuia nos vario conſcindit murmure turba,
  Penthea vt Ogygiæ diſſecuere manus.
Namq; infecundo ſumus edita pectore monſtra,
  Nec Lucina diem, nec Venus vlla dedit.
Occidimus iam nunc occaſus ante parentis,
  Et ſuprema fuit, quæ data prima dies,
Cur immaturos effœto è pectore partus
  Egeris? hos partus eſt iugulare tuos?

## IN PHORMIONEM.

PHormio quid tete ſuadet ſimulare Catonem?
  Non omnes fallis, ſuadet iniqua fames.
Alter in alterius vultum ſi lumina figat,
  Territus horribili relligione tremis.
Siuè iocos iaciat, ſeù callida dicta iuuentus,
  Siuè hilaris tenera rideat ore puer:
O palmare ſcelus, crimenq; piabile clamas,
  Luſtrandamq; Vrbem relligione putas.
Phormio de cælo ſolus cecidiſſe videris,
  Te ſolum mores aſſeruiſſe canunt.
Heu mens cæca hominũ? ſuſpiras Phormio menſas,
  Quiq; guloſus homo es, relligioſus homo es.

IN

Digitized by Google

## IN HYLAM.

LÆui fronte nites, cũ pubem exceſſeris omnẽ,
Neſcio quis vultu ſtat dolus, vngue dolas.

## AD NORBANVM.

VNo certè oculo nuper Norbane carebas,
Sed tibi nil Princeps donat, vtroq; cares.

## DE PHYLLIDE.

NOnnullam Phyllis de me vult hiſcere verbũ,
Diſperean niſi me Phyllis amore perit.
Quod verbum non Phylli facis, non audeo verbum
Hiſcere, diſpeream te niſi depereo.

## AD AMICVM.

EXporrecta palam tranquillas ora ſereno,
Pectora clam tacita lege ſeuera tenes.
Seria non grauitas eſt ſe iactare Catonem,
Serius ille Cato, qui ſine teſte Cato eſt.



Digitized by Google

## IN ATTALVM.

*HElluo librorum Varro fuit, Attalus alter*
*Helluo; at ille oculis, Attalus ore vorat.*

## IN NVPTIAS IVLII, & Iſottæ Nugarolæ coniugum.

*ERrantes captare dolis dum quærit amantes,*
*Inſidijsq; potens retia tendit Amor:*
*Veronæ proceres in vincla tenacia traxit,*
*Vincula non vlla diſſoluenda die;*
*Se tamen implicuit, ſe ſeq; inuoluit iiſdem*
*Retibus, inuentor captus ab arte ſua eſt.*
*Vt captum ſe vidit Amor, ſubriſit, & inquit:*
*Non mihi libertas, hæc mihi vincla placent.*

## DE BORROMEORVM INSVLA in Verbano lacu ſita.

*VIdimus inuitis floreſcat vt Inſula ſaxis,*
*Floribus vt ſcopulos ars operoſa beet:*
*Vidimus vt varias lauri fingantur in aulas,*
*Veſtiat vt muros citrea pompa ſuos.*
*Hic nimios ſoles lauris arcentibus æſtas*
*Frangitur, hic medio frigore vernat hiems.*
*Et quiſquam miretur adhuc, ſi dicitur hortis*
*Nec minor Alcinoi, nec minor Heſperidum?*



Digitized by Google

## IN STEMMA QVODDAM.

VT video, vanis crinitur frondibus arbos,
Luxuriat baccis arbor onuſta ſuis.
Pulchra quidem ſpecies; ſed nulla eſt copia frugũ,
Sunt oculis, ſed non pabula nata gulæ.
Quàm benè vos folijs demonſtrat inanibus arbos?
Pictum monſtrat opus, quas habeatis opes.

## DE TYRSIDE È GRÆCO.

IDæum facies te Tyrſi fatetur amorem;
Te tamen hunc oculi ſidera bina negant.
Illum oculis poſito cæcum velamine iactant;
Tu tamen ex oculis ſpicula mille iacis.
Vt mutetur amor vario diſcrimine Tyrſi,
Claude tuos oculos, ſolue Cupido tuos.

## AD IOSEPHVM ARCHINTVM Senatorem.

NIl niſi grande ſonat nomen ſapientis Ioſeph,
Clamat, io, nomen non niſi grande ſophos.
Nam tua, quæ patriam ſapientia temperat vrbem,
Clamat, io, veteres te ſuperare ſophos.
Hoc eſt magniloquum turbam regnare Sophorum,
Aut Reges totidem moribus eſſe ſophos.
Septenum quondam numerum mirata vetuſtas,
Incipit octauum te numerare Sophum.



Digitized by Google

## SEMINARIVM MEDIOLANENSE.

*Illa ego, quæ fueram ſuperis gratiſſima ſedes,*
*Quid loquor? Immo hodiè ſũ quoq; grata domus.*
*Aſſiduè ſacri depromo robora cœtus,*
*Qualia Troianus pectora fudit equus.*
*Inſubriæ florent noſtris cultoribus aræ,*
*Stet me ſtante fides, meq; cadente cadat.*
*Hoſpita ſum Chriſti ſtudijs, nec inhoſpita muſis,*
*Hiſce viget pietas, hæc pietate vigent.*
*Sed male naſcenti nomen de ſemine traxi,*
*Nam mea ſi numeres ſemina, meſſis ero.*

## DE IO. BAPTISTA, ET BONIFACIO Fratribus Saccis.

*LÆdeos fratres alternam viuere vitam,*
*Alternoq; mori funere fama canit.*
*Nunc vero Inſubrum par inculpabile fratrum*
*Non iiſdem vicibus ſentit vtraſq; vices.*
*Eſt quoties vnà, toties ſe viuere vterq;,*
*Eſt longè quoties, credit vterq; mori.*

DE

Digitized by Google

## DE IOSEPHO RIPAMONTIO, & me ipſo.

*O Sor Soſſagi ſe Ripamontius odit,*
*Et ſe Soſſagi factus amator, amat.*
*Viuet Soſſagus, ſi Ripamontius ipſe*
*Viuat, Soſſagus, ſi cadat ille, cadet.*
*O utinam æterno iungantur fœdere, vt vnà*
*Poſſit uterq; diu viuere, vterq; mori.*

## DE CATHARINA CANTONA, & Domitilla Triuultia.

*INſubrides geminæ fama ſuper Aſtra feruntur,*
*Inclyta quæq; ſuo nomine, ſtirpe ſua.*
*Altera ſidus erat generis dotale Triuulti,*
*Altera Cantonum nobile ſidus erat.*
*Diſcordes ſtudijs attollit gloria concors,*
*Artibus impariles, ingenioq; pares.*
*Vna virum mores vna, eſt imitata colores,*
*Vna magis lingua claruit, vna manu.*
*Hæc velaminibus velamina vincit Arachnes,*
*Illa laboratis fata voluminibus.*
*Altera cantando narratur Apolline maior,*
*Altera texendo maior Apelle fuit.*
*Sed Calathos confer calamis, velamina cartis;*
*Illam homines dices, hanc ſuperare Deos.*

IN

Digitized by Google

# IN LAVDEM CATHARINÆ Cantonæ.

HActenus extinctos animauit imagine vultus
Sudor Apellæus, Phidiacuſq; labor.
Nunc Catharina nouis telas animare figuris
Auctor, & artifici texere tela manu.
Adiures hæc vera geri, nec ficta videri;
Tantùm Dedaleæ poſſidet artis opus.
Si terras mentitur acu, ſtant ordine ſiluæ,
Rauca ſonant fluuij, ſtagna quieta ſilent.
Nunc curuas ſinuant valles, nũc ſtamina turgent
Montibus, & cælo proxima ſaxa vides.
Si fragiles artus formauit, & oſſa virorum
Viuere credidimus, credidimuſq; loqui.
Stamina ſi facies Diuum ſpirantia monſtrant,
Viuunt in magnos ſtamina tota Deos,
Juppiter igne tonat, montanaq; culmina fumant,
Fila vagas rumpunt ingenioſa faces:
Crinitur Phœbus radijs, Mars fulminat armis,
Inuidia Iuno ſæuit, amore Venus.
Vnde tot inuenit textricibus artibus artes?
Pallade docta fuit, Pallada vel docuit.

Bayerische Staatsbibliothek München

DE

Digitized by Google

## DE INSIGNIBVS AVSTRIACIS Ad Philippum III. Regem Hiſpaniarum.

*QVod tibi cunctarum ſeruit Regina volucrũ;*
*Non equidem temerè quod facit, illa facit.*
*Illa docet reliquos etiam ſeruire Tyrannos,*
*Geſtit & imperium ſpontè ſubire tuum.*

## FVNEBRIA IN OBITVM MARIÆ Auſtriacæ.

*QVænam diuerſo ſubmota eſt cardine Tellus?*
*Quin fleat Auſtriacæ triſtia fata domus.*
*Funerea Bætis damnauit tempora taxo,*
*Et Tagus atratum condidit amne caput.*
*Ingemuit toto lachrimoſus Rhenus ab antro,*
*Qui dominæ ſacros lambuit ante pedes,*
*Fleuit mæſtus Arar, mæſtæ fleuere Pyrennes,*
*Et lachrimis tepuit Belgica Terra ſuis;*
*Ipſe manu vitream deiecit Tiberis vrnam,*
*Ipſe ſibi virides proſcidit vngue genas.*
*Flet regio diſcors, tamen eſt concordia fletus,*
*Nam putat ereptam gens ſibi quæq; Deam.*

DE

Digitized by Google

## DE EADEM.

AVſtriadum ſi vis tumulos accedere Regum
Hoſpes, vbi Mariæ molliter oſſa cubant;
Hic nihil horreſcas tremefactus imagine mortis,
Aſpicies pompam, nunc vbi funus habes.
Siſte parum tumulo veſtigia, ſiſte, viator,
Clamabis, templum eſt, vrnula nuper erat.

## DE EADEM.

CÆſareos inter tumulos dum ſaxea moles
Auſtriacæ matris claudere membra parat;
Exilit auguſtum funeſto è marmore corpus
Indignans terra deteriore tegi.
Quin animæ ſocium fugientis ad Aſtra volaſſet,
In vetitum niti ſi potuiſſet iter.
Et quod Virgineos imitari aſſueuerat artus,
Credidit hoc etiam poſſe imitando ſequi.
Quis neget in cælum Mariam cum corpore vectā?
Altera ſi cælo ſic propè vecta fuit.



Digitized by Google

## DE EADEM.

*AVſtriadum fecunda parens is talis Olympo,*
*Mirari vt poſsit te quoq; dia parens.*
*Proxima ſi qua foret titulis, tu proxima tantum;*
*Si qua foret ſimilis, tu ſimilata fores.*
*Æmula virtutum viuebas, æmula vitæ,*
*Alterutri Mariæ nobile nomen erat,*
*Vtraq; Cælicolis gratiſsima, pauit vtramq;*
*Idem amor, atq; eadem gratia, numen idem.*
*Nunc cum iungantur geminę ſuper æthera matres,*
*Vna Dea tantum ſit minor, vna Deo.*

## DE EADEM.

*VIdit vt Auſtriacam vita decedere matrem,*
*Iamq; ſepulcrales irrubuiſſe faces;*
*Ipſe manu ſceptrum fregit regnator Iberum,*
*Sæuijt inq. ſuas Margaris ipſa comas.*
*Barbaricos etiam reges, Indoſq; Scythaſq;*
*Auguſtos obitus exululaſſe ferunt.*
*Nullum tot lachrymis funus memor extulit orbis,*
*Hoc neq;, ſi cuperet, plus lacbrimare poteſt.*

DE

Digitized by Google

## DE INFANTE REGIO Galliarum.

*MEnſibus exoritur biſquinis regia proles*
*Sæpe è materno rumpere viſa ſinu:*
*Sed pauida Lucina manu tremefacta refugit,*
*Martem alium naſci vidit, & extimuit.*

## DE INFANTE REGIO Hiſpaniarum.

*AVſtriacum dum fœta parit Regina nepotem,*
*Vixq; laborantes ſuſtinet ægra ſinus:*
*Regali feſtinat opem Lucina cubili,*
*Cumq; ſuum puero ſenſit adeſſe diem*
*Solue, Dea exclamat, tantoſq; enitere partus,*
*An fuit Alcidæ nox ſatis vna tuo?*
*Iam ſi ceruicem genitor ſubduceret Atlas,*
*Tutus in illius vertice Mundus erit.*

## DE TARQVINIO.

*IN Inſubres quis nunc ridere audebit edaces?*
*Tarquinius probrum ſobrius omne vorat.*



Digitized by Google

## AD EVNDEM.

ASpicis ut verni terræ pandantur honores,
Aſpicis vt totis ſeruiat æquor aquis.
Ipſe tibi Oceanus paret famulantibus vndis,
Terraq; dat cenſus ingenioſa ſuos.
Parturit hæc roſeis vernantia lilia calthis,
Parturit & croceis calthula mixta roſis.
Ille tibi exſpumat fuluis cunabula gemmis,
Oceani properant aurea texta nurus.
Forſitan & famulus ſtellas tibi mitteret æther,
Natura in terras ſed leuis ire negat.

## IN BALBVM.

DVm tu liber eras, linguã fera vincla tenebãt,
Hærebantq; tuis aſpera verba labris:
At cum cæpiſti totis ſeruire diebus,
In ſocios liber libera verba iacis.
Quid tibi pro meritis implorem numina tantis?
Sors libertatem reddat amica tibi.

AD

Digitized by Google

## AD LVDOVICVM FVOCHERVM.

DVm Venus in noſtris veſtigia poneret oris,
Geſtijt aſpectum nacta repente tuum,
Geſtijt, & facie rubefacta immobilis hæſit,
Hac ipſa facie, qua cadit ira Deum.
Meq; ait, ab ſimili Ludouicus imagine ludit,
Talis in Aſcanij gloria fronte fuit.
Sic oculos, ſic ille pedes, greſſumq; ferebat,
Sic puer in uolucri Sidonis ibat equo.
Aſcanij fac te Ludouice aſſumere nomen,
Omne tuo ludes ingenio ingenium.

## IN ANTONII MELCHIORIS Epitalamium.

ANte nouē Diuas Parnaſsi in vertice Phębus
Juſserat Antoni carmina docta legi.
Miratæ ſtupuere Deæ mirabile carmen,
Et tacitus tacita Cynthius aure bibit.
Tum verò vnanimes conclamauere ſorores,
Tergemino nunc eſt addita Muſa choro.

## IN VINCENTII GALLI Grammaticen.

INſubria pubes veteris quondam æmula Romæ
Vt prodire recens vidit, & hauſit opus,
Deriſit latiæ numeroſa volumina linguæ,
Si quibus inſtruitur prima iuuenta loqui.
Tantus honos fandi, latiarum ea gratia legum,
Splendeſcit tanta nobilis arte liber:
Hæc noua miratur liber ipſe arcana loquendi,
Miratur proprias ambitioſus opes.
Hinc tibi ſi cordi Romanæ eſt gloria linguæ,
A Gallis debes diſcere Roma loqui.

## DE ARCIMBOLDI GYMNASIO.

HIc vbi magnanimi circumſpicis Arcimboldi
Atria, & Inſubri feruere pube domum:
Panduntur profugis gratiſſima limina Muſis,
Ingenuiſq; frequens artibus Hoſpitium.
Nunc vbi præclaros Inſubrum à ſtirpe Nepotes
Inſtruit in media nobilis arte domus;
Ante fuit nulla tectum laudabile fama,
Obſcuriq; fuit nominis ante locus.
Vidiſſet ſquallere ſitu, ſordeſcere latè
Omnia, Palladius nunc vbi ſpirat honos.
Gaudete Inſubres, Graiorum gloria veſtra eſt.
Gaudete ò Graij, veſtra ſit Inſubria.



Digitized by Google

## DE SCIPIONE À CELLA, & Bernardino à Seſſa Amicorum celeberrimis.

VNanimes ſocio ſpectantur carmine vates;
Ambo pares cantu, laudibus ambo pares.
Vnum pectoribus iuraſſes eſſe duobus,
Velle erat alterutrum, nolle erat alterutrum.
Talis erat Pyladæ, dum Rex exquirit Oreſtem;
Dum Pyladem exquirit talis Oreſtis amor.
Viuite concordi felices carmine Vates,
Idem cum ſitis, carmen hiatis idem.
Viuite concordes felici carmine Vates,
Vnum cum ſitis, laus manet vna duos.

## GEMINI FRATRES ſacris admoti.

VT triplici triplices violas imitatur amictus;
Annos dum variat frater vterq; ſuos?
Candidus in violis eſt enaſcentibus albor,
Fratribus & teneris candida veſtis erat:
Lutheus in violis eſt pubeſcentibus ardor,
Lutheola fulſit puber vterq; toga.
Purpureus violis eſt caneſcentibus ignis:
Purpureum cinget canus vterq; caput:
Hos tribus in uiolis tres pingit terra colores;
Tres fratre in gemino pingere Roma parat.

AD

## AD IGNATIVM ALBANVM.

IGnati dum multus hias de pectore carmen,
Quale parens Vatum temperat aure Deus:
Perſtrinxit fraternus amor tibi pectus, vt vltrò
Me numeris velles inſeruiſſe tuis.
Forſitan hęc tecum, ſi te Soſſage libellis
Sors negat vlla tuis viuere, viue meis.
Hoc in amicorum ſignari dicitur albo,
Tollitur Albano carmine nigra dies.
I, modo Pollucem iacta mentita vetuſtas?
Hoc redimi Pollux ſe quoq; fratre velit.

## IN ORBILIVM.

ORbilius queritur cur illum funditus odi;
Qui me nec tenui fortè pupugit acu.
Me nunquam offendit, tamen illum funditus odi,
Intueor vultus illius, & ſtomachor.
Aeger inops quondam patria tellure receſſit,
Neſcio qua locuples arte repente fuit.
Grammaticos vates odit cane peius, & angue,
Hæc odij tantum cauſa putanda mei.

## DE AFRI.

TOnſor Afri tondere cutim dum ſudat obeſam,
Venales ſetas colligat, Aulla monet.



Digitized by Google

## TVMVLVS HENRICI III. Gallorum Regis.

GAllorũ iacet hic Regnator, & vltor auorũ
Hoſtica qui parua contudit arma manu.
Et vario armorum permiſcens Regna tumultu
Inſolitis cælum terruit omne minis;
Quin etiam imperij fines proferret ad Indos,
Dextera ni victrix morte repreſſa foret.
Quiſquis es infenſus cineri procul effuge buſtum
Henrici, cinis hic vel tibi bella feret.

## HENRICVS III. FRANCORVM REX.

HEſperias qui iã duplices hoc pectore frangens
Inuito rapui Gallica ſceptra Ioue,
Quiq; tot hoſtiles nimbos, belliq; procellas
Exigua potui ſuſtinuiſſe manu;
Qui modo concuſsi magnis terroribus Alpes,
Vnius occubui victima cæſa manu.
Non Italus, non fortis Iber, ſed perdere Regem
Gallorum Galli dextera ſola poteſt.

## DE ME IPSO.

SOſſagus Federice tuum ius impiger hauſit,
Ergo tui poſthac non niſi iuris erit.



Digitized by Google

## AD BERNARDVM Confalonerium.

ERgo tuum vatem patiere occumbere leto?
Nec, Vir Magne, feres, qui potes vnus, opē?
Quem toties leti rapuiſti e faucibus atris,
Oppreſſum morbo deſtituiſſe potes?
Sum tua præda, tuum victa de morte tropheum,
Si peream, pereat gloria magna tui.
Seruari quæ parta ſemel victoria debet,
Laurea de domita morte tenenda tibi eſt.

## AD IO. BAPTISTAM Vicecomitem Senatorem.

VEnabar toto nequicquam Helicone lepores,
Quos pro xeniolis Vir tibi magne darem,
Cum miſerata mei venatrix Delia, dixit,
Si non fratris habes dona, ſororis habe.
Nec mora donauit leporem per deuia captum;
Pro lepido verſu mittitur ergo lepus.



Digitized by Google

## DE INVIDIA.

NOn eſt inuidia magis execrabile monſtrum,
Hoc tamen vſq; boni peſſima peſtis habet.
Nā quemcumq; tenet, pænis hunc torquet acerbis,
Et vitium vitio conterit ipſa ſuo.
Vltrix ipſa ſui eſt, ſeſeq; vlciſcitur ipſam,
Pęna nec inuidiæ triſtior inuidia eſt.

## AD IACOBVM VALERIVM.

CVr non grandiloquum ferat ætas noſtra Maronem,
Quæris? Cæſaribus cura Maronis erat.
Indocto non lauta gregi tum cęna dabatur,
Cæſareis vates accubuere toris.
Optima menſarum vorat hic, mihi peſſima ponunt,
Et vis ieiuna carmina voce tonem?
Ecce bibo lymphas, lymphatur at ille Falerno,
Lymphari neſcit numine potor aquæ.
Cæſareas ſere nunc animas, mox ſurgere priſcos
Aſpicies vates, vt ſeritur metitur.

## ALTER SCÆVOLA.

*TEr felix anima, & cõtemptrix mortis acerbæ*
*E ſuperis rides qui tua fata plagis,*
*Inſubriæ tu triſte iugum ceruicibus arces,*
*Noſtraq́; depellis funera morte tua.*
*Quin tibi Terrarum pro libertate cadenti*
*Eſt tibi Terrarum debita tota ſalus.*
*Vis inimica tuos quamuis nunc diſsipet artus,*
*Te tamen in propria Iuppiter arce locat.*
*Spargantur cælo, tumulo non oſſa tegantur,*
*Non poterunt tumulo nobiliore tegi.*

## DE EODEM.

*QValiter Hetruſci tentoria ad intima Regis*
*Mutius errantem torruit igne manum,*
*Hæc ita regali commiſſa cæde triumphans*
*Dextera ſuppoſito concidit igne pari.*
*Regnabant ſæui digitis ſtillantibus ignes,*
*Vſq; lacertorum dum cecidere tori.*
*Illa videbatur populanti gliſcere flamma,*
*Irritare faces, interituq; frui.*
*Hæc quoq; Romanæ ſi falleret æmula dextræ,*
*Se iaceret medijs dextera ſponte focis.*

AD

## AD PETRVM TOLETVM Oroſium Mediolani præfectum.

*INſubriæ cuſtos, & Iberi gloria regni,*
*Te veterum ſcriptis regia plena vocat.*
*Muſarum dominum par eſt inuiſere muſas,*
*Imperij pars hæc eſt obeunda tibi.*
*Te priſci agnoſcent numeroſa volumina ciues,*
*Vulgus & aſſuetum vel ſine voce loqui.*
*Te circumſtabunt denſo pro milite vates,*
*Exſpectet nutus pagina prompta tuos.*
*Ante tuos tentat moles procurrere vultus,*
*Sed natura loco cedere ſaxa negat.*

## AD EVNDEM.

*MVſarum dum Petre paras inuiſere ſedes,*
*Phœbus an alter adeſt rex Heliconis, ait.*
*Lætentur muri conſpecto Præſide tanto,*
*Vlteriuſq; loci non ego præſes ero.*
*Sed venias Princeps, licet indignetur Apollo,*
*Te ſubeunte domum Phœbus abeſſe nequit.*

## IN IDAM.

*VT Varro videatur alter Idas*
*Menſis aſsidet, abditur popinis,*
*Totis noctibus helluatur Idas.*



Digitized by Google

## AD MATHEVM VALERIVM.

*Æger, inops vates dum Phœbū in vota fatigo,*
*Vt valeam cantu, viribus vt valeam;*
*Ipſe tibi præſto, mea cura, Valerius adſit,*
*Hic melior noſtro numine Phœbus, ait.*
*Te Phœbi exhaurire docet promiſſa Valeri,*
*Non aliter valeam carmine, nec valeam.*

## DE EADEM.

*Mercurium quondam eloquij dixere parentē,*
*Arguit eloquij te tua lingua patrem:*
*Et veteres dixere Iouem, cum ſponte iuuaret,*
*Et pariter clamant te benefacta Iouem.*
*Si tua ſpectetur facundæ gloria linguæ,*
*Mercurius fueris, qui Iouis inſtar eras.*
*Si largæ benefacta manus, qui nomine dignus*
*Mercurij fueras, Iuppiter alter eris.*
*Mercurius tua verba quidem laudauerit vltra,*
*Ipſe tuas laudet Iuppiter vltro manus.*

AD

## AD FRANCISCVM CASTRIVM.

INfera ne ſuperum turbarent monſtra quietem,
Nudaq; veſtiret lætior arua ſeges:
Auſpice Mercurio nupſit Iuno infera Diti,
Tertius à magno qui Ioue frater erat.
Auſpicijs Franciſce tuis nunc altera Iuno,
Et thalamos fratrum tertius alter init.
Hinc ſeruata domus tantum tibi debet, vt olim
Mercurio magni debuit aula Iouis.

## AD EVNDEM.

O Regum ſoboles regum gratiſsima regi.
Deliciæ Heſperiæ gentis, & orbis amor:
Mundus vt in tanta tutus ceruice recumbat,
Vt ſtet conſilijs regia fulta tuis.
Auſtriacæ vt regnēt aquilæ maioribus alis
Eoæ norunt, Heſperiæq; plagæ.
Iam terra contenta fuit, nunc æthere claudi
Fama indignatur laudibus aucta tuis.

## AD EVNDEM.

LVſitanorum ſanguis de ſanguine regum,
Cui rerum domini tot numerantur aui,
Cui centum trabeæ, centum gentilia ſceptra,
Cui totam irradiat multa tiara domum,
Et ſpolia, & currus, & rapta ex hoſte trophæa;
Armaq; Maurorum tincta cruore Ducum:
Tot decorum ſeriem diuino in pectore ſeruas,
Viuit in hoc vultu turba ſuperſtes auum.
Quid mortem extinxiſſe iuuat tot lumina Regum?
Viuit in hoc vultu turba ſuperſtes auum.
Maiores in fronte tua ſpirare videntur,
Omnis in hoc vultu regius extat honos.

## AD EVNDEM.

VOx qui Franciſce tui, cui poneret iras
Cum triſido in terras Iuppiter igne furit:
Quæ ſurdas tempeſtates, ſurdaſq; procellas,
Et tumidum iratis temperet æquor aquis:
Quam prius attonito ſtupuit pater Adria fluctu,
Et mutos iuſsit diſcere verba greges:
Ad quam bacchantes viſi miteſcere venti,
Et ſterni ante pedes blandior vnda maris.
Nunc ſtupet orantem mutato gurgite Tibris,
Auctus enim linguæ nectare purus abit.
Regia maieſtas ſe non Hiſpana loquutam,
Non alias meminit nobiliore ſono.
Quid regnare paras Hiſpana potentia bello?
Vnica vox domitrix totius orbis erit.



Digitized by Google

## IN ORATIONEM COSMI BINDII.

*CIngere virgineas veſtes, atq; ilia zona*
*Virginei tantum mos fuit ante chori.*
*Carolus vt nituit ſeruati flore pudoris,*
*Quæ cinxere latus cingula caſta probant.*
*Detulit hæc Patriã commendans Coſmus in Vrbe,*
*Coniunctamq; ſacro fune pudicitiam.*
*Fortunati ambo, funiſq; & lingua loquentis,*
*Tu quia digna refers, tu quia dignus eras.*

## AD LVDOVICVM SEPTALAM.

*SOſpagus Septala tuus nunc interit, orto*
*Inuiſas agrum ſole, cadente cadet.*
*Te viſo Elyſias inuiſam lætior vmbras,*
*Te viſo vitam non moror vlterius.*
*Teſtis apud Manes meritorum magna tuorum*
*Vmbra ferar, taceat nec tamen illa cinis.*

## IN PAVLVM.

*CVr dono fatuos amice verſus,*
*Atq; vnas fatuas mihi dediſti?*
*Si me perdere Paule cogitabas,*
*Non vnum fuerat ſatis venenum?*



Digitized by Google

## AD FELICEM OSIVM.

O Si ſortitus felici è ſidere nomen;
Doctane cum muſis otia dexter agis?
Tu fortunatus diuini carminis ales;
Et tibi naſcenti dexter Apollo fuit.
Me miſerum infauſta damnauit Aquarius vrn.
Aſtraq; me læuo læua tulere die.
Heu, vatum varijs iunguntur tempora fatis;
Sed vario eſt natis ſidere mens eadem.
Nec nos vnanimes ſuprema abiunxerit hora,
Quamuis coruus ego, tu videaris olor.

## AD EVNDEM.

O Felix operum iuuenis, quo vate ſuperbit
Inſubria, & Latium prouocat omne vetus:
Illa tuis numeris felicior exit in auras,
Vnde minus felix Attica fertur humus.
Nec tantum ſeſe tollit Verona Catullo,
Blanditurq; minus Bilbilis ipſa ſibi.
Sic paribus quondam ſtudijs clamabere felix
Hac Patria Ciuis, Patria ciue ſuo.



Digitized by Google

## IN CAROLI VICECOMITIS Obitum.

*VIx tibi prima lanugine vertitur ætas,*
*Proh dolor, & ſæuo ſtratus ab hoſte cadis.*
*Scilicet hortatrix animoſi gloria leti*
*Suaſit, vt in medios ſtrinxeris arma globos.*
*Non tanto capiti potuiſti parcere ferrum?*
*Nec rabiem roſei leniyt oris honos?*
*Quod non diſſiluit ſexcenta in fragmina mucro*
*Ingemit, auctori paruit ille ſuo.*

## ALIVD.

*HÆccine Vicecomes properaſti ad funera? quos heu,*
*Quos tua ſingultus fata ſiniſtra cient?*
*Triſtibus vrgetur lachrimis gentile ſepulcrum;*
*Sed triſtes lachrimas marmora ſurda bibunt.*
*Non exorato Genitor ſub limine leti*
*Vertitur, inq; tuo funere funus amat.*
*Te dolet extincto vitam producere, quamuis*
*Diſſimulet ſiccis aſpera vota genis.*
*An tua maturo Genitori, vt cederet ætas,*
*Occidis? At leto concidit ille tuo.*



Digitized by Google

## DE CAVSA INTERITVS EIVSDEM.

*DVm miſer exigitur duro de limite mortis*
*Balthaſar, inuiſum iuſſus obire diem:*
*Ah ſcelus, immerito violaris Carole ferro,*
*Nec licet vltrici ſtringere tela manu.*
*Non ſecus exſpirat formoſi gratia floris,*
*Quem metit immiti ruſtica falce manus.*
*Hæc fuit Eumenidum ſtimulatrix ira ſororum,*
*Ipſæ odijs, ipſæ turbam acuere minis.*
*Quis furor eſt mæſtos poſt fata laceſſere manes?*
*Funeſtant ipſos tartara mota Deos.*

## IN IO. BAPTISTÆ VERTVÆ opuſculum de retardanda morte.

*PLaudite mortales, qui non contemnitis artus,*
*En opus humana maius habetis ope.*
*Conqueritur vulgus non creſcere Pluto ſilentum,*
*Se ſtipe fraudari congemit ipſe Charon.*
*Iudicium ceſſare fremit Rhadamantus, & vrnam*
*Deijcit indignans triſte vacare forum.*
*Imperium minui aſpiciens mors, hei mihi, clamat,*
*Hoc operis prodit mortis in exitium:*
*Quæq; ſua vi cuncta poteſt extinguere rerum,*
*Nulla operi tanto mors nocuiſſe poteſt.*



Digitized by Google

# AD GABRIELEM MASSAROLAM ABBATEM CISTERCIENSEM.

QVEM tibi libellum, Maſſarola, promiſeram, debere diutius noluí, ne vel negligere tua merita viderer, quibus affici me planè ſentio, vel fidem meam, quã tibi obligatam ſine flagitio deſerere non poſſum. Nuper enim tanta me humanitate complexus es, vt quantus, quantus ſum, in ære tuo eſſe me cenſeam, nec ſoluendo ſim, etiamſi Craſsi fortunas in me fortuna conferret, eaſq; in ſinum iſtum tuum regererem Latinis, & Atticis munditijs, atq; omni veteri vrbanitate ple-

pleniſsimum. Hæret animo, ſemperq; hærebit ille dies, cum acciti Ioſephus Ripamōtius, Philippus Albertinus, & ego in ſuburbanum iſtud tua rheda deuecti ſumus, ac vultu illū tuū vſurpauimus, cuius videndi deſiderio tenebamur. Vidimus, qualem mente præceperamus, & ex ipſo aſpectu, ac congreſſu tantū voluptatis hauſimus, vt non diem elabi, ſed elapſum eſſe ſentiremus. Obuerſatur adhuc animo tua illa humanitas, cum obuijs vlnis venientes exciperes, cum meipſum amplexatus ſuauiſsimè de mea imbecillitate quiritarere, nec ſpacia tantum conficere nobiſcum, ſed varios ſermones de re litteraria inſtituere velles, nobiſq; munificentiſsimis, atq; amantiſsimis verbis amorem, coniunctionem, ſtudium in nos tuum prolixè oſtenderes. Pro quibus omnibus animum hunc accipe, & hoſce verſiculos illius teſtes minimè luculentos, ſed tamen non inuenuſtos. Quos ſi carpent Critici homines nigro liuore ſuffuſi, væ illis. Cum enim miranda Heroum facinora, aut Tragicos Tyrannorum caſus canere aggrediar, ita canam, vt eos liuoris ſui fortaſſe pæniteat. Tu interea pro tua magnitudine animi, tuaq; in me beneuolentia hæc qualiacumq; tuebere.



Digitized by Google

# BENEDICTI SOCIACI AMBROSIANI COLLEGII DOCTORIS.

## Epigrammatum Liber IIII.

### AD FEDERICVM Borromæum.

*ELoquij Federice parens, vox aurea*
*ſęcli,*
*Dum verba Inſubribus, lactea*
*verba, facis:*
*Non adeò Arpinæ mirantur flumi-*
*na linguæ,*
*Aptaq; Sirenum verba tenere rates.*
*Æmulæ Romanæ virtutis, & æmula morum*
*Vrbs, ait; exultans altera Roma fui;*
*Eloquij nunc quando parens mihi contigit alter,*
*Altera Roma vocer, dum Federicus erit.*



Digitized by Google

## AD EVNDEM.

NEc Soſſagiolo Princeps largiris agellum,
Nec Ripamontiolo, dignus vterq; tamen.
Quas alijs dederis venturum neſciet æuum,
Quas dederis nobis, fama loquetur opes.

## AD AMICVM.

ACcipio ſuperum certantia munera menſis,
Seu Phœbi ſpectem munera ſeu Bromij;
Sed non accipio præconia debita Diuis,
In me quæ plena congeris vſq; manu.
Non tales vuas Bromius, nec carmina Phœbus
Donarint magno natus vterq; Ioue.
Sed ſitis vuarum cum ſit mihi, nauſea laudum,
Phœbe moues ſthomacum, tu mihi Bacche gulã.

## AD IO. BAPTISTAM SILVATICVM.

SOſſagus tuus ille, tuus contabuit, & iam
Inuadit ſæua mors mea colla manu.
Si morbus tamen eſt vllis medicabilis herbis,
Aſclepi propera ſanguis, & affer opem.
Inuiſam viuo vitam Siluatice, tu, ne
In tumulum abripiar, me tumulo eripias.

IN

Digitized by Google

## IN ANGVERIANVM.

ANgueriane tuo dum tollor ad æthera cantu,
Horribili morbo pallidus erubui.
Non tantum erubui laudes, quas congeris vltrò,
Erubui verſus Angueriane tuos.

## DE VILLA GROPELLIANA.

VIdimus ò Princeps vicina palatia cælo,
Abdua præcipiti qua pede ſaxa rotat,
Arboreaſq; tuo lætantes nomine turbas,
Et gauiſa tua creſcere poma manu.
Æmula ſunt domini naſcentia ſidera florum,
Aurea ſunt mores mala imitata tuos:
Ingenio domini certant vernantia rura,
Æmulaq; eloquij dędala vernat humus.
Sed populabit hiems terræ felicis honores:
Hanc Federice adeas, hiſpida vernet hiems.

## AD PHILIPPVM ALBERTINVM.

ALbertine tuos ita ſum miratus Iambos,
Vt nil prætcrea cernere diſcupiam.
Et quando in terris nihil eſt diuinius, abdas
Mors oculos, in me ſit mora nulla, meos.



Digitized by Google

## DE MVLABVS LECTICAE IVNCTIS,
qua Philippus Albertinus, & auctor iuſſu Federici Cardinalis in Gropellianam villam recuperandæ valetudinis gratia deuecti ſunt.

DVm ſuperi trepidant cælo titubante Quirites,
Iuppiter æthereas fulſit Atlante domos.
Vatibus ægrotis geminos Federicus Atlantas
Suppoſuit, ſummi vera propago Iouis.
Inuideat Federice tibi iam regia cæli,
Nam gemino cæli regia Atlante caret.

## AD PHOEBVM.

HIberni me lædit adhuc iniuria cæli,
Quaſſanturq; nouo membra peruſta gelu.
Quid vernos afferre dies cunctaris Apollo?
Quin inimicam hiemem tartara ad ima fugas?
Ni te iuſta mouet miſeri querimonia vatis,
Læn cum vates pronus adibo Deum,
Vt lucem nunquam adducas mihi Phœbe, perenni,
Dum mihi ſit Bacchi copia, luce fruar.

IN

## IN MALVM POETAM.

CArminis artificem ſeſe commendat Amilcar
Artificem potes hunc dicere carnificem.
Natura inuita carmen molitur ineptus,
Naturam ritu carnificis perimit.
Sic parricidæ mulctari crimine debet,
Si natura parens, eſt iugulata parens;
Quin & ſacrilegi pœnis damnetur oportet:
Si Genius Deus eſt, ſtrangulat ille Deum.

## IN AFRICVM.

AFrice quæ ſcribis pueriq; ſeneſq; loquuntur;
Africe nemo audet ſed tua facta loqui.

## IN EVNDEM.

ARchilochum pulſet cũ ter milleſimus annus,
Africe miraris non tacuiſſe ſenem?

## IN CREMETEM.

CRimina diſſimulas nati, natumq; fateris:
Et Pater es Cremes peſſime, nec Pater es.

## DE VVLCANO, ET AMORE.

CVm nato recubat genitor Vulcanus Amore:
Nunc paria vt facias, retia pone Venus.

AD

## AD PETRVM CANTONVM.

AFfulſit Cantone dies, qua Chriſtus in auras
Prodijt, & noſtro vagijt ore Deus.
Cuncta domus naſcente Deo veſtita corymbis
Ridet, & æterna limina fronde virent.
Miſsilibus pueri donis mittuntur onuſti,
Mutuaq; antiquo xenia more ferunt.
Quid donem Cantone tibi? mihi carmina tantum
Suppeditat Phœbus, carmina vatis opes.
Accipe vatis opes; ferro abſumentur, & igni
Regales gazæ, non Heliconis opes.

## AD EVNDEM.

HEſterna Cantone die, dùm fortè rigerem,
Pollicitus fueras Cretica vina mihi,
Nunc vero horridulus brumali frigore vates,
Vlterius brumæ vim tolerare nequit;
Diriguit ſanguis, per te Cantone caleſcat;
Tu fugientem animam ſiſtere, Amice, potes.
In me ſæuit hiems; ſed ſi Cantone Lyæi
Mitia vina dabis, ſit mihi mitis hiems.

## IN DELTAM.

IPſe tibi ignotus, quis credat? debeo cantum,
Quantum vix ipſi debeo Delta Deo.
Scriptorum quendam miſeret dum Delta tuorum,
Bilem atram ridens protinus euomui.

IN

## IN AVARVM.

*TIcini quicunq; tenes & littora, & Vrbem,*
*Deuites, moneo, limen Agreſtiadum.*
*Hæc alium Plutona tenet triſtiſsima ſedes:*
*Conſpecto longè limine nudus eris.*

## IN AGRESTIVM.

*TAm forti pugnare manu, quã ſcribere pugnas*
*Romani fertur ſanguinis eſſe decus.*
*Romanus ciuis laudetur Agreſtius olim;*
*Nam geminam palmam feruidus arripuit.*
*Vt res egregiè ſcribat ſit pagina teſtis,*
*Egregiè vt faciat, teſtis es Archiloche.*

## AD ERICIVM PVTEANVM.

*ME licet inſtantis verſantem in limine leti*
*Admonet extremum terror adeſſe diem,*
*Et me vicina pallentem morte fatigat*
*Obluctantem animam detenuiſſe labor:*
*Non poſſum Puteane tibi non mutua verba*
*Reddere ſupremo deficiente ſono.*
*Demiſſos in cælum oculos attollere conor,*
*Incepit quos iam claudere dura quies;*
*Ferrea vincla ligant fauces, vox clauditur intus,*
*Inuita tecum ſed quoq; morte loquar.*

AD

Digitized by Google

## AD IO. BAPTISTAM SACCVM.

*Sacce mihi ſuperum certantia munera menſis*
*Indulges, Bromij munera grata Dei.*
*His ego muneribus produco ſtamina vitæ,*
*Diſcutio morbum Perſephoneſq; manus,*
*Sic quem perdiderant medicatis pharmaca ſuccis,*
*Longi ſeruant dulcia dona Patris.*
*Iam valeant ſucci herbarum, potuſq; medentum,*
*Me meliore mero ſeruat Apollo meus.*

## AD EVNDEM.

*Diuinos Bacchi latices auidiſsimus hauſi,*
*Vnde mihi grato pectora melle madent,*
*Diuinas & litterulas auidiſsimas hauſi,*
*Vnde omnis penitus ceſſit amarities.*
*Ambigimus maior manauerit vnde voluptas,*
*Sic tua contendunt dulcia verba mero.*
*Non alio ſermone loqui cæleſtia iurem*
*Numina, non alio nectare poſſe frui.*
*Munere quo gemino fiam immortalis, oportet*
*Et Bacchi. & linguæ nectare Sacce beer.*

## IN AVREA FEDERICI Cardinalis volumina.

*Vos ò melliferæ precor volucres,*
*Quæ per roſcida prata conuolatis,*
*Per dulces violas, thymumq; dulcem,*
*Quæ veris legitis ſuaue nectar;*
*Vos ciues accolæ laborioſi,*
*Prædones redolentium roſarum,*
*Rorantis bibulæ aeris cohortes;*
*Vos ò melliferæ precor volucres,*
*Secretas Federici adite ſedes,*
*Sedes Pieridum choris amicas,*
*Sedes nec ſuperis inhoſpitales.*
*Si vos tanta tenet cupido florum,*
*Si vos tanta tenet cupido roris;*
*Hic rore aureoli madent libelli,*
*Vernant floribus aurei libelli.*
*Hic vos carpite floſculos recentes,*
*Hic ver ſugite, copiamq; roris,*
*Hic vos melliferam domum poteſtis*
*Vobis figere, nobileſq; vobis*
*Conſtipare fauos, replere cellas*
*Regum porticibus beatiores.*
*Quin & ſi cupitis probæ videri,*
*Si cantus memores Maroniani,*
*Pro me deſide, peßimoq; Vatum,*
*Muſarum precor optimo parenti*
*Grates reddite blandulis ſuſurris,*
*At Muſis animas iniquiores,*

*Quæ non innocuos amant poetas,*
*Quæ non pierios amant lepores,*
*Quæ non Aonias amant ſorores*
*Veſtris figite ſpiculis acutis.*

## IN PAVLVM COGNOMENTO Ruſticum.

*INcidit in temere errantes dum forte poetas,*
*Alpibus horreſcit Ruſticus horridior.*
*Scilicet hoſpitium ſiccos perquirere Vates*
*Credidit, & toto pectore diriguit.*
*Verba requirebant tantum ciuilia vates;*
*Sed non ciuilis Ruſticus eſſe poteſt.*

## IN EVNDEM.

*AVſpicor occurrens ſalue, vale Ruſticus, inquit.*
*Ruſticus auſpicium petiit, an hoſpitium?*

## DE CARDINALI BORROMÆO, & Leonardo Pictore.

*DVm caput exſpirans pictor Leonarde reclinas,*
*Gallorum dominus brachia ſuppoſuit.*
*Ecce tuas tabulas Federicus ſeruat ab æuo,*
*Hic mentis cuſtos, corporis ille fuit.*



Digitized by Google

## AD CÆSAREM BVRRVM.

MErcurius ſi Burre forẽ, cui furta tenentur,
Cuius habet Diuum nuncia virga manus.
Iam tua letæo preſſiſſem lumina ſomno,
Et tua depleſſem dolia plena mero;
Sed potius vellem hanc cytharam ſubducere furto,
Hanc cytharam, Phœbum qua ſuperare potes:
Quin ego tunc ſaltem geminis accingerer alis,
Et vellem menſis accubuiſſe tuis;
Nunc prohibent efferre niues veſtigia tectis;
Inuitis niuibus ſed tuus hoſpes ero,
Hoſpes ero dum Burre tuus, tecumq; morabor,
Non ero Mercurius, Mercurialis ero.

## AD HIERONYMVM BOSSIVM.

TIcinus noſtræ certabat laudibus Vrbis,
Laudibus armorum laudibus ingenij,
Oſtentabat enim veterum ſceptra inclyta Regum,
Multaq; doctorum ſcripta legenda Virum;
Aſt vbi Ticino noſtram migrauit in Vrbem
Boſsius, in laudes deſtitit ire ſuas.
Vrbs non ingenijs fuerat quæ victa, nec armis,
Vincitur infelix ciue relicta ſuo.



Digitized by Google

## AD EVNDEM BOSSIVM.

*TIcine ocelle fluminum, Padi frater*
*Æſtu domari neſcius, parens glauca*
*Æternus vnda, Naiadumq; glaucarum:*
*Qui natus altis Alpium iugis vdum*
*Profers ab altis Alpium caput ripis,*
*Mox ſpumea inter lapſus arua Verbani*
*Ex hoſpitalis alueo alueo lacus exis*
*Magno fragore concauas replens valles:*
*Hinc excauato ductus alueo in planum*
*Celſus laboras tangere Inſubrum muros*
*Largitor vndæ: volueris tamen recta*
*Maiore aquarum mole, præpeti curſu*
*Metitus vrbem, ſceptra quæ prius geſſit,*
*Felixq; nomen nomine à tuo ducit;*
*Hinc ponte victus lucidas vehis vndas,*
*Referſq; vultus fontis inſtar illimis,*
*Imoq; arenas detegis tuas fundo,*
*Et quicquid imo conditur ſinu prodis*
*Lamna prior criſtallina, prior vitro.*
*Cur non ſaporem priſtinum refers lactis?*
*Agnoſco: ceſſat Boſsius loqui tecum.*

AD

## AD AMICVM.

*OPtimè vir ſortite pares cum munere mores,*
*Inter aues perdix optima venit auis.*
*Cum perdice tua noſtro memorabere cantu,*
*Cum perdice tua vel ſuper aſtra voles.*
*Ipſe Sacerdotum mihi Princeps, illa volantum:*
*Deliciæ Patriæ diceris, illa dapum.*

## ABDVA.

*ABdua vicinis immanior Alpibus ortus*
*It, Federice, tuam mitior ante domum.*
*Sic qui Rhætorum violens è finibus exit,*
*Hic tua ſubmiſsis culmina lambit aquis.*
*Nec mores Federice tuos Inſubria diſcat?*
*A tanto motus Abdua diſcit Hero.*

## AD PHILIPPVM ALBERTINVM.
vt Archilochum ſuum quamprimũ edat.

*QVin gentem obſcuram famoſo carmine claras?*
*Inuiſumq; ſinis quemq; videre genus?*
*Diffugient culpæ conſpecto carmine, & ipſa*
*Crimina non ſolito pallidiora metu.*
*Hoc vouet Archilochus ſecum lętatus, & inquit,*
*Iurabor vere redditus Archilochus.*

## DE BREVITATE HVMANÆ VITÆ.

QVid fragiles artus, moribundaq; membra fouemus?
Præcipitant noſtros aſpera fata dies.
Heu genus infelix; cornicula protrahit æuum,
Aſt hominum ſæpe eſt vltima prima dies.
Heu genus infelix: vincit tria ſæcula ceruus,
Noſtra ſimul cœpit ſurgere, vita cadit.
Heu genus infelix: ſenium vetus exuit anguis,
At ſimul affulſit noſtra iuuenta, fugit.
Sic torrens, ſic tela volant, ſic fulmina currunt;
Mors eſt mortali viuere, vita mori.

## AD AMICVM.

VIdimus Hyblæo condita cydonia melle,
Carminaq; Hybleis proximiora fauis;
Altera ieiunum permulcent dona palatum,
Oblectant oculos altera dona meos.
Illa mihi validas reddunt in priſtina vires,
Hiſce acies mentis feſſa refecta fuit.
Eſt hominis validas in priſtina reddere vires;
Immortalem animam reſtituiſſe Dei eſt.

IN

## IN ATTILAM.

ATtila purpureos demens oſtentat amictus;
Natiuo credens murice membra tegi:
Arcanus rubor eſt, rubor hic diuinitus ardet,
Erubuit veſtis, quòd ſcelus omne tegat.

## DE DORILA FVRE.

INuaſit Dorilam moriturum tertia febris,
In truncum infamem qui breui agendus erat;
Tùm verò illudens moriturum ſalſus Iolas,
Certè eludetur tertia febris, ait.

## AD PETRVM CANTONVN.

PEtre tibi auſpicijs melioribus ominor annum,
Nec vatis current omina vana tui.
Te merita orbari trabea, meritaq; curuli
Sol dolet indignans, conſcius ille tui eſt.
Faſcibus abſq; tuis menſes extendere curſum,
Annus inire gemit faſcibus abſq; tuis,
Veſtigare vouent vltrò tua limina faſces,
Et trabea hos humeros optat obire tuos.
Iuſtitia ex alto tantum te ſpectat, ab alto
Cedere Diua negat, tu niſi iura dabis.



Digitized by Google

## DE FVRE SVSPENDENDO.

ALlius irrorant ſocij dum pocula ſontis,
Qui laqueo infami colla daturus erat:
Diflauit ſpumam, mox admirantibus, infit,
Hac gigni nobis calculus arte poteſt.

## DE NÆVOLO.

DVm miſer ad letũ raperetur Næuolus, inquit;
Heu cur molle lapis non mihi ſternit iter?

## AD ANDREAM MENRIQVIVM Marchionem.

MEnriqui Regum manifeſtus ſanguis Iberum,
Conſilijs cuius non labat Imperium,
Præſidijs cuius nondum cæleſtia Muſæ
Numina, nec virtus priſca relinquit humum:
Crudelis iamdudum odiis crudelibus hoſtis
Heu meus accepit vulnera ſæua Pater;
Impunitus adhuc tota tamen Vrbe vagatur,
Supplicium ſceleris nec pauet ille ſui.
Per Muſas, quibus hoſpitium fugientibus offers,
Perq. tuum Phœbo nomen amabilius,
Perq; os iſtud, apis cui non certauerit Hybla,
Hoſtis hic inſultet ne patiare mihi.
Seruati iam ciuis erat pulcherrima merces
Quercea, ſeruati laurea vatis erit.



Digitized by Google

## IOAN. BAPTISTÆ CASSIO.

CAſsi ſtirps Italum vetuſtiorum,
Caſsi flos Italum beatiorum,
Caſsi lux Italum eruditiorum,
His Natalitijs amice feſtis
Quid rerum geris optimis dierum?
Certè lauticijs tuis beari
Iam qua fronte ſoles benigniori
Cenæ ſpem mihi feceras, ſed auræ
Spem tantæ ad lybiam abſtulere cenæ;
Sed ne forte putes gulam Poetæ
Structas lauticijs amare menſas,
Et quondam Salijs vel inuidendas:
Si poſſum, iubeo, minus ciborum
Apponas mihi, pluſculum iocorum.
Non vatem excipies Apitianum
Vaſtis gurgitibus capaciorem,
Menſarumuè metum, dapum Carybdin;
Sed doctis ſalibus, facetijſq;
Contentum nimis, & nimis beatum.
Ardet noſtra ſitis tuos lepores,
Has ad delicias fames anhelat.
Ad noſtrum ſtomachum tui lepores,
Ad noſtrum faciunt ioci palatum.
Has ſi delicias tuas reguſtem,
Regum deſpiciam dapes potentum,
Ipſas deſpiciam dapes Deorum.

## IN AFRICVM.

NVnc illos mihi prome animos, nunc Africe vires,
Irriſor tanti qui modo Vatis eras.
Cur animam odiſti? poſciſq; dehiſcere terram?
Sit rubuiſſe rubor, ſit puduiſſe pudor.
Heu nequeo, exclamas, in me quot vibrat Iambos,
Infigit totidem vulnera, totq; neces.
Tu tamen obdura, tormenta per omnia poſthac
Lætus eas, hæc ſi carmina ferre potes.

## IN EVNDEM.

AFricus abſimilis genitori dicitur, ille
Luxuriæ, genitor peccat auaritiæ;
Sed tamen indulget nato Pater, ille parenti,
Luxuriem genitor, natus auaritiam.
Sic bene conueniunt diuerſis moribus ambo:
Hic pretio incubuit, hic quoq; ſuccubuit.

## IN VERREM.

PRæfectus Verres opulentæ dicitur vrbis,
Sed dum coget opes, hic mihi Quæſtor erit.

## AD ALEXANDRVM MAGIOLINVM.

VNus Alexādri mihi nomine dignus haberis,
Vnus Alexandri vultum, animumq; refers.
Ille quidem, Thebas cum fundo euerteret imo,
Vrere Pindaricos horruit igne lares.
Maior Alexandro mihi ſemper habebere, ſi tu
Vina Brianteo, Cratica vina dabis.
Si Cratæ mihi vina dabis, memorabere quondam
Tu ſeruaſſe animum Vatis, at ille domum.

## DE PVERO P. CANTONI.

DVm Cantoniades miratur paruulus aſtra,
Lunaremq; hilari ſuſpicit ore facem;
Non intellectis optatum vocibus aſtrum
Flagitat, afferri ſignificatq; manu.
Hic pueri votis illudit blandior altrix,
Vanaq; ſub tenero pectore vota putat:
Sed gemitu, fletuq; puer complebat Olympum;
Sic deſiderio ſideris ictus erat.
Vnde puer cæli tanto correptus amore eſt?
Degeneres fœtus non Iouis ales alit.



Digitized by Google

## DE EODEM.

*LVnarem dum forte globum nanciſcitur Infans,*
*Geſtijt, altrici proſiluitq, ſinu,*
*Suſtulit & teneram gauiſus ad æthera dextram,*
*Phœbeam viſus prendere velle facem:*
*Et modo deſignat digitis, deſignat ocellis,*
*Quid ſibi diſcupiat, depereatq; puer.*
*Ne Pater à puero Phœben mireris amari,*
*Sit Obſtetricem monſtrat adeſſe ſuam.*

## AD LVNAM.

*ASTrorum regina, ſoror clariſſima Phœbi,*
*Vritur ecce tuo captus amore Puer.*
*Te tenera tractare manu puer aureus ardet,*
*Et libarc tuis oſcula mille genis.*
*Sopiti ſi ſponte tua Paſtoris in vlnas*
*Deſilis, & pueri reſpice Diua preces,*
*Indulge puero, puerilibus annue votis:*
*Infans talis erat frater Apollo tuus.*

## AD AMICVM.

CVm mea lethali torperent membra veterno,
Et totis macies ſerperet egra genis;
Sæpè tuo morbum diſcuſsi munere Bacchi,
Et rediit, qui iam fugerat ora color;
Quin etiam incaluit circum præcordia ſanguis,
Et rediit, qui iam fugerat oſſa calor.
Si numeris igitur noſtris furor incidet vllus,
Manauit noſtris, dic, furor ille cadis.

## AD ALEXIVM RICARDVM.

SOſsagus, Ricarde, tibi ſuccenſeo Vates,
Te noſtræ immemorem conqueror eſſe gulæ.
Conuiuas tunè ad cœnam ſine Vate vocaſti?
Quos Borromei Principis aula tenet.
Aulica nimirum magni inteſtina putaſti,
At nihili Vatis viſcera habenda putas.
Conuiuis tantum ſi delectare ſuperbis,
Regibus inferior non mihi venter erit.
At ſi noſtra fames dapibus, menſiſq; timetur,
Contenta eſt riſu pro dape noſtra fames.

DE

Digitized by Google

## DE FEDERICO Borromeo Cardinali.

O Biectos inter lapides dum murmurat amnis
Gauiſus vultu prætereuntis heri,
Cur nõ me alloqueris Princeps, dũ præteris, inquit,
Mutatis ibo nectare plenus aquis.

## AD GALEATIVM ARCONATVM.

MErcurij ſanguis certiſsimus, ignea virtus,
Ingenij cuius vicerit ala Patrem,
Ecce domum ſumptu magno ſtruis Vrbis ad inſtar,
Qua locus obſcuri nominis ante fuit:
Et quæ prima iaci vidit fundamina Phœbe,
Æquatum cælo ſeptima vidit opus.
Mundi opifex mundum ſeptena luce creauit,
Mortalis manus eſt æmula facta Dei.

## AD EVNDEM.

MAgnanime Inſubrum Galeati, gloria gentis
Regia cui virtus, regius oris honos:
Vt tua conſpexi, cæli faſtigia riſi:
Nobilior ſedes eſt tua ſede Iouis.
Par cælo tu culmen habes, tu culmine maior:
Te minor eſt, quamuis numine digna domus,



Digitized by Google

## IN N. PORTÆ LAVREAM.

PORta ſuperliſicis olim pateſacta triumphis,
Et Diuum ſerie nobilitata domus;
Illuſtres quæ ſueſti animas immittere mundo,
Quæ ſæui ſtudijs inclyta martis eras:
Hunc ſpecta iuuenem, quē Virgo Aſtræa periret
Dotali thalamos ſiderē cuius emat.
Hac etiam te porta decet floreſcere lauru,
Quis ſcit an indocilis vincere vincat honos?

## AD HERCVLEM PLANCVM.

NI te plus oculis meis amarem
Flos ò Plance virum venuſtiorum,
Phœbi pupulla, corculum Mineruæ,
Ni debere animam tibi faterer,
Me, dum ſpiritus hos mouebit artus,
Certa ò Mercurij propago Plance,
Vatum præſidium, decuſq. noſtrum.
Dignus helleboro nigro viderer,
Longeq. Anticyram forem vehendus,
Vt vere cerebro meo imminutus.
Nam, dum triſtis hiems per oſſa gliſcit,
Atq. omnes gelat oſſium medullas,
Dum collo gracili, latuſculoq;
Lunga pallidus eſuritione;
Turbam territo peruiam per vrbem,
Errabunda, rigens imago mortis:
Menſæ delitias mihi dediſti,

Et

Digitized by Google

*Et quæ fercula regibus ſtruuntur,*
*Nunc vobis benè ſit lares benigni,*
*Amiſſam vndè animam ſtatim recepi,*
*Firmauiq; gradus, & integellas*
*Vires corporis, & toros valentes.*
*Sit vobis bonus, eleganſq; nidor,*
*Et ſemper caleas coquina Planci,*
*Quæ tales epulas mihi paraſti.*
*O factum bene: ſiccus ille Vates,*
*Veſtra nunc opera, miſellus ille*
*Vates eſuriens renidet vnctus*
*Pingui factus obeſior catella,*
*Pingui pinguior anſeris medulla.*
*Quod ſi Plance alias dapes remittas,*
*Cælum ſupplicibus rogabo palmis,*
*Me totum vt faciat repente ventrem.*

## AD CAROLVM BESVTIVM.

*Carole mortales inter iuſtiſſimus vnus,*
*Quo duce Maieſtas regia maior erit:*
*Te meritum quæſiuit honos, te ſponte poteſtas*
*Ambijt, Imperium regia ſponte dedit.*
*Nunquam ſe tali meminerunt Iudice leges*
*Dignius Inſubriæ dicere iura tuæ.*
*Tenuuia ne tenuis munuſcula deſpice Vatis,*
*Cæleſtes modico farre coluntur heri.*

DA

Digitized by Google

## DE CAPANEO.

POſtquā Tartareas Capaneus deſcēdit ad vndas,
  Et pede ferales conſtitit ante domos:
Thebanæ tremuere acies, vulguſq; ſilentum,
  Et quos fulminea ſtrauerat ipſe manu:
Pars faciem ſtupere horrendā, pars vertere terga,
  Ceu quondam trepidi corripuere fugam.
Horruit & Pluto ſpirantia lumina cædem,
  Vimq; viri trepidans talia dicta dedit:
Cur Deus in terris Thebanam perdere gentem
  Te vetat? in manes ſi quoq; bella moues.

## IPSE LOQVITVR.

ILle ego fraterni quondam pars maxima belli,
  Thebarumq; metus, qui Iouis inſtar eram:
Qui denſas acies diſieci robore dextra,
  Et ſtraui Ogygiis mœnia tuta globis:
Dum bellum Thebis, cœloq; inferre pararem,
  Coniuratorum me rapit ira Deum.
Si non ante diem procumbam, Iuppiter ingens
  Et cœli, & terræ deſinat eſſe Deus.



Digitized by Google

## AD MATHEVM VALERIVM Carthuſianum.

ÆTatis ver illud abit, flos interit æui,
Lethali obſeſſus frigore ſanguis hebet:
Ille tuus vates vicina morte, Valeri,
Aruit, obrepſit iam mihi triſtis hiems:
Nec mihi, quæ claudat morienti lumina mater,
Nec mihi, quæ funus defleat, vlla ſoror.
Si vero noſtri tanget te cura ſepulcri,
Oſſa tua ducam facta beata manu:
Si cinerem fortaſſe tuo dignabere fletu,
Aridus in florem geſtiat ire cinis.

## AD EVNDEM.

FElix riuus aquæ, Patriam qui pronus ad vrbē
Volueris, Inſubrum qui ſata leta ſecas:
Si vatis te tangit amor, qui flumina patris
Verbani cecinit, flumineoſq. greges:
Dum flos Cartuſiæ, lux magna Valerius orbis,
Per tua decurrit littora, lambe pedem.
Dic, te, dic tantum reſonare ediſcere nomen,
Meq; etiam mutos velle docere greges,
Et merita arboreis tentare inſcribere libris,
Sciſſaq; ſollicita ſaxa notare manu.
Vt cum deficiam, ſaltem benefacta referre
Vnda, greges, muti, marmor, & arbor ament.

AD

## AD IVLIVM ARESIVM Quæſtorum Principem, cum ei libellus Mômi titulo inſcriptus dicaretur.

*POſtremus liber iſte tibi gratatur Areſi,*
*Qualibet extremum res habet orta ſuum.*
*Tu prima Aſtrææ, Phœbi tu prima propago,*
*Aſtrææ, & Phœbi poſthumus alter erit.*
*Primus fortunæ, virtutis primus & hæres*
*Diceris, ergò aliis vltima cera datur.*
*Expectaſſe diu potuit te ſella Senatus,*
*Ætas quam meruit prima, ſenilis habet.*
*Officium ne tu ſerum, ne temne libelli:*
*Sera tibi quæuis gloria, ſerus honos.*

## IN LIBELLVM MOMMI titulo inſcriptum.

*RVrſus ad æthereas emiſſus Horatius auras*
*Incidat in luſus ſi modo Momme tuos;*
*Exclamet, memini me ſic decernere, punctum,*
*Vtile qui dulci miſceat, omne ferat.*
*Innocuis ſalibus, nec amaro ſcommate mores*
*Dum pungit, punctum Mommus vt omne tulit.*

## ALIVD.

NOcte ſatus, ſomnoq; ſatus, qui crimina Diuũ
Rimatur Mommus deſidioſus, iners,
Dum riſus ridere tuos, illudere tentat
Luſibus, atq; notas Momme notare tuas:
Vnde duplex, clamat, noſtro de nomine numen,
Soſia vt antè duplex Amphitruonis erat.
Illuſor noſtra deluſus imagine ludor,
Eſtq; mihi ſimilis Mommus, vt ipſe mihi.
Quin propero ne irridentem derideat, & ſim
Ludibrium Mommo, qui modo Mommus eram.

## IN NVPTIAS ALEXANDRI Nogarolæ, & Ludouicæ à Vero Coniugum.

DVm tibi Alexãder pulcherrima ducitur vxor,
Inq; tuos defert vincula caſta toros:
Juno ait, Idæo non ſi temerarius antro
Aſſideas Iudex, talia dona feras:
Quin etiam ſi talem Helenam Menelaus haberet,
Staret adhuc, vbi iam Troia ſuperba fuit.

ALI-

Digitized by Google

## ALIVD.

IBat Alexander Mauortis ad inſtar in armis,
Seù naſcente die, ſeù moriente die.
Cumq; vrgebat equum calcaribus, arma fremebat,
Cumq; artus medio ſterneret vſq; toro.
Iam mare, iam terras domuiſſet fortibus auſis,
Affulſit roſeis cum Ludouica genis.
Tunc furor armorum conceſsit, & arma puellæ:
Sic mare, ſic terras vna puella domat.

## DE IISDEM.

CVm Venus æthereas nuper delapſa per auras
Lacteolo peteret te Ludouica pede,
Et tandem cupido coniungere vellet amanti,
Amborumq; ambas conſeruiſſe manus:
Vidit Alexandrum, mox hæc ſuſpiria fundens,
Cur non, inquit, erat Mulciber iſte meus?



Digitized by Google

## IN OBITVM SCIPIONIS ex Condominis Cellæ.

ILle ego ſum decus Aſtreæ, ſpes altera Phœbi;
Eſſe quid ah demens? me reor, immo fui.
Vix mihi terdenos rapidus ſol torſerat annos,
Cum dulces Lacheſis rupit iniqua dies,
Et laurum capiti iam feſtinarat Apollo;
Quin Aſtrea mihi neuerat ipſa togam.
Parca ſagax experta, Deus, mortalis, an eſſem:
Admirans famam, credidit eſſe Deum.

## AD EVNDEM.

MOrtorum dum Cella paras protendere famā,
Quæ fugiat triſtes intemerata rogos:
Non tulit audacem Mors indignata iuuentam,
Immiſitq; auidas in tua colla manus.
Cum velles aliis poſt fata extendere vitam,
Ipſa tuos voluit præcipitare dies.
O quantū mors auſa nephas, quantū improba funus?
Funere nempe vno funera mille dedit.

DE

## DE EODEM.

FVnditur innumeras *Cellæ* iam fama per oras:
*Quid iactas cineres ambitioſe lapis?*
*Exiguone ingens condetur marmore nomen,*
*Quodq; nequit cælum claudere, claudet humus?*
*Auguſto tumulus necquicquam Vate ſuperbis:*
*Non potis hoc tenui Cella iacere loco.*
*Pars melior ſuperat, virtus it didita latè:*
*Pro tumulo cæli machina tota datur.*

## ALIVD.

CArmina cur docto celentur noſtra ſepulcro?
*Nobile ſi ſaxum carmen hiare potes.*
*Ediſces à Vate loqui, dominoq; ſepulto,*
*Manibus à tantis erudiere lapis.*
*Indociles traxit vates ad carmina rupes;*
*Poſſe loqui dubitas, quem potuere ſequi?*

## DE PAVLO V. PONT. MAX. & Paulo Seruita.

D*flectum cælo Paulum cum Roma tuliſſet,*
*Pro Paulo Saulum progenuit Phlegethon.*



Digitized by Google

## AD L. ANTONIVM Pyrabouem.

*NE me Pyrabos aſsidens herili*
*Pernox imperio, manuq; promptus*
*Verba Principis, vberemq; fandi*
*Cartis credere copiam loquentis,*
*Ne me Pyrabos optimum ſodalem*
*Commendare meo vetens Phœbo,*
*Qui flos dicitur eruditiorum,*
*Qui flos dicitur eloquentiorum,*
*Quiq; Heroibus altior vetuſtis*
*Totum laudibus occupauit orbem.*
*Hic tu præpete dextera miniſter*
*Dum nectar roſeum, dapes Deorum*
*Voces pectoris, aureos lepores*
*Tam felicibus exaras libellis*
*Dic, vates tuus: heu nimis miſellus,*
*Nunc ex quo FEDERICE contupite,*
*Conſpectu caruit tuo, periuit.*
*Morbum ſuſtinuit diu moleſtum,*
*Sed deſiderium tui nequiuit.*



Digitized by Google

## AD FRANCISCVM SERMONETAM apud Sarmatarum Regem nuncium.

*Fungeris officio legati, nec tamen vſquam*
*Paciferas olea frons habet vlla manus.*
*Vt Iouis interpres ſublimia iuſſa reportas,*
*Nec tamen vlla tuum peruolat ala caput.*
*Sed teneant pro fronde oleæ, pro interpretis alis*
*Forte manus claues, & diadema caput.*

## DE GVIDO BENTIVOLO. Apud Belgas Nuncio.

*Qua ſe deuoluit ſpumanti fonte Sicamber,*
*Et lauat Auſtriaci regna ſuperba Ducis:*
*Bentiuolus ſeſe Belgarum manibus abdat,*
*Atq; aures tanti mulceat ille Ducis.*
*Illius alloquio Belgis iam Roma loquetur,*
*Stabit in arctois Roma remota plagis.*

## AD HIERONYMVM Franciſcanum ex ijs, quos Capucinos vocant.

*Heroem meritò obſeruas Hyeronime ſacrum,*
*Nomen habens ſacrum non niſi ſacra colis.*
*Quàm benè villoſo nunc eſt ſociata cucullo*
*Purpura, mortalis ſic gerit ora Deus.*

## IN CERERIS CORNVCOPIAM manu geſtantis effigiem.

*Arte dari veras fruges natura negarat,*
*Has tamen artis opes vidit, & erubuit.*

## IN EANDEM.

*Mentitur pictura Deam, veramq; fatetur:*
*Ars vbi mentitur, tunc ibi vera fuit.*

## AD SCIPIONEM BORGHESIVM Cardinalem.

*Immenſi molem Paulus dum ſuſtinet orbis,*
*Tu qua proclinat plurima parte ſubis.*
*Certè creſcet onus, facili at decreuerit vſu:*
*Fit longo leuior ſæpe labore labor.*
*Subtrahet ille humeros cedens, in te omne recumbet*
*Pondus, & attolles pondus Atlantis Atlas:*
*Nec premet hos humeros, ſed te eriget vſq; premendo,*
*Nā mage creſcet honos, quo mage creſcet onus.*

## DE IO. BABTISTA
### Vicecomite Senatore.

E Superis Aſtræa diu proſpexerat oris
 Procomitem quouis edomuiſſe nephas:
Non auras populi, non aurum flectere mentem,
 Nec tantam maculas contemerare domum.
Aurea nunc ætas, inquit, nunc decolor ætas
 Effugit, ad terras præcipitare placet.
Dixerat, & notos intrauit Virgo penates.
 Dic modo Iuſtitiam nuſquam habitare loci:

## AD CAROLVM BORROMÆVM
### Aronæ Comarchum.

VT genus antiquum regali fronte fateris?
 Vtq; tuo genitor multus in ore natat?
Qualiter in varias operoſo pollice formas
 Fingitur artificis cera ſequuta manus:
Non ſecus ad patrios componis pectora mores,
 Fiſq; patri ſimilis, quam pater ipſe ſibi.
Ergo alios felix genitor rediuiuus in annos
 Surget, & in nati fronte ſuperſtes erit.

## IN TVRCARVM REGEM, cum inſtructiſsima claſſe Italiam vaſtare min:taretur.

*Qvo præceps Otomanne ruis maleſanus, & ardes*
*Italiam duro perdomuiſſe iugo?*
*Irritas demens oblitum cædere ferrum,*
*Sopitaſq; faces, ſegnitiemq; virum.*
*Victima vt Italiæ procumbas, ſæuit Erynnis,*
*Iraq; Turcarum ſanguine noſtra cadat.*
*I precor, i ſequere Italiam, nam quæ ipſe ſuperbo*
*Non premis imperio, corpore regna premes.*

## AD IACOBVM RESTIVM ægrotantem.

*Effera dum febris languentes poſsidet artus,*
*Vſtaq; letali macerat oſſa gelu:*
*Aonidum flet mæſta cohors, flens maxima Phœbi*
*Cura ſubirato diſsipat vngue genas.*
*Explorata ſalus rediit, vix cura quieuit,*
*Et trepidant mixto gaudia noſtra metu.*
*Triſtia vix triſti ſoluuntur corda dolore,*
*Cumq; tuo noſtrum vulnere vulnus abit.*
*Quot viuo te vita manet, quot ſupera functo?*
*Vna dies cunctos perdidit, vna dedit.*

## IN NVPTIAS.

IDalio delapſa Iugo Dea Cypria greſſu
Benaci tetigit littora curua lacus:
Nec mora: nobilium face corda iugauit amantum,
Iunxit & alterutras in ſua iura manus.
Cum tamen aſpectum formoſæ Virginis hauſit,
Victa venus forma Virginis erubuit.
Nec minus erubuit conſpecto coniuge nuptæ,
Coniugis heu vellet nec meminiſſe ſui.

## DE HELENA, ET SENIBVS procacißimis.

NE ſperent tecum Priami ſe iungere reges,
Anne feras Helene triſte ſupercilium?
Scilicet hæc rigidos patietur forma Catones;
Hirſutis Curios ſpectet imaginibus?
Quis furor impexas mento protendere barbas
Mollities animos ſi muliebris habet?
Deſperanda ſeni tua ſunt conſortia amanti,
Hiſpida non Helenæ barba placere poteſt.

DE

Digitized by Google

## DE ASCANIO CARAÇIOLA, qui ludis editis glorioſiſsimus mox commiſſa cæde capite plectitur.

*Bellica terribiles animos ſimulacra cientis*
*Aſcani, & inſolito tela rotantis equo,*
*Tracius aſpectans Mauors, domitaſq; phalanges:*
*Vnius in pugna quid mihi reſtat, ait.*
*Scilicet Aſcanius patitur mars ipſe vocari,*
*Vrbs reſonat, Mars es fortis alumne meus.*
*Ergo feram poſthac noſtrum euaneſcere numen?*
*Qui Mars in terris audiat, alter erit?*
*Sic dixit, ſtruxitq; dolos, & in arma furentem*
*Impulit, vt ferro uindice colla daret.*
*Perdere non auſum media miraris auena?*
*Mars contra armatas horruit ire manus.*

## DE EODEM.

*Ecce triumphato roſeus iacet æquore truncus,*
*Purpureoq; ſolum ſanguinis imbre rigat.*
*Tunè iaces iuuenis vernantibus integer annis,*
*Flos Italum, Veneris floſcule, floſq; domus.*
*Te Venus vt vidit tenerum neglexit Adonin,*
*Garrula Cephyſin reſpuit Echo ſuum.*
*Latoides ventis, ventis quoq; tradidit ignes*
*Pan veteres, tantus fulſit in ore decor?*
*Parthenope exſpectas veterum miracula florum,*
*Vt tua non ſolito flore niteſcat humus?*
*Ne tantas, ne poſſe putes molleſcere vires,*
*In florem pectus ferreum abire nequit.*



Digitized by Google

# LVDOVICO SEPTALIO

## Noſtri æui Aeſculapio.

DIVTVRNI morbi mei, quo per tot annos acerbiſſime diuexor, vel tu vnus locupletiſſimus teſtis es SEPTALA doctiſſimè, qui exeruiſti neruos omnes, omnemque artem explicaſti ad reſtituendam mihi valetudinem, adq; reficiendas vires inueterata propè tabe confectas. Annus iam tertius agitur, ex quo tenuícula febri tentari cæpi, quam procul ab pręcordijs cum abigere non poſſem in ſextum prope menſem tenui filo noſtra vita pependit, necdum ex ea incommoda valetudine emerſi, quamuis abſit febris. Memini te ſubiraſci, ac ſubringi, cum fruſtra ſuccos herbarum omnes expro-

exprimeres, nec grauem, ac periculoſum morbum vlla medicamentorũ vi depelleres. Adſidebas ægroto, temperantiæ præcepta inculcabas, monebas cibo, potuque vterer quam parciſſimo, atq. adeo in extremam propè deſperationem adducto vitæ ſpem faciebas. Sed labor omnis cadebat irritus, nec cum ſanguinem miſiſſes, quicquid poteras detraxiſſes, è longo, ac letali morbo leuationem aliquam ſentiebam. Ac niſi balneariibus aquis vacillans corpuſculum curaſſes; importunas veſpillonum manus non effugiſſem. Verum ea portentoſa macies ſequuta eſt, vt ſæpius quererer, quod ita viuerem, quam lætarer, quod viuerem. Declinabam aſpectum hominum, ab amicorum congreſſione refugiebam, ac verebar ne religionem iis aliquam occurſu meo incuterem? Mirabantur amici habitum mortuo, quam viuo propiorem, artus gracillimos, collum oblongiuſculum, ſquallentem faciem, exeſas carnes. Et quãuis ab alijs propè deponerer, per ſummam patientiam, & ſedulitatem vias omnes perſecutus es, quibus ad ſalutem peruenirem. Quorſum iſthęc inquies? vt intelligas non ſolum hoſce ingenij noſtri fœtus, ſed hãc quam tuo poſt Deum beneficio viuimus vitam tibi deberi. Accipe igitur ſummum vitæ precium verſus hoſce, quos in tuo nomine vulgamus. Neq; enim aliter ſatisfieri poterat meę erga tuum nomen pietati, quam ſi tibi dicaremus congeſta in libros carmina, quæ viritim alijs dicamus. BE-

# BENEDICTI SOCIACI AMBROSIANI COLLEGII DOCTORIS

## Epigrammatum Liber V.

### IN FEDERICI BORROMÆI Cardinalis ſpeculam.

*VT tollatur humo, vulgo tollatur ab imo,*
*Aeriam Princeps conſtituit ſpeculam:*
*Hic & cælicolum ſedes meditatur, & aſtra,*
*Et gaudet cælo ſe propiore frui.*
*Ambigeres, an ament Federicum numina cæli*
*Acrius, An cęlum plus Federicus amet.*

## IN EANDEM.

SVmma domus quatuor Federici eſt peruia vẽtis,
Qualibet hunc dominum flagitat aura ſibi.
Diuidat imperium terræ ſi Iuppiter æquus,
Hunc vnum tellus ſubdita noſtat herum.

## DE ASCANIO ORDEO Canonico Regulari Affine meo.

REgnator docti memoris, manifeſtus Apollo,
Æterni ſoboles indubitata Iouis:
Aſcanij quid nam mortali nomine gaudes?
Numen habes, faciunt aurea verba fidem.
Abnueris quamuis, teſtantur carmina numen,
Et citharæ ſonitu verus Apollo pates:
Aſcanium fingis, ceu finxerat ante Cupido,
Diſſimulas numen, quod tua verba probant,
Non potes ore gregem mentito fallere vatum,
Agnoſcit numen ſcilicet ille ſuum.

## IN DIOPTRAM.

VTeris artifici cur nam Federice dioptra?
Vlteriuſne aliquid noſcere forte potes?

DE

## DE AVSTRIADVM INSIGNIBVS.

*IVppiter æthereo demittit fulmina cælo,*
*Et trifido humanum territat igne genus:*
*Attamen, in terras mittit quæ plurima cælo*
*Fulmina, dux auium ſola miniſtrat auis.*
*Ne domus Auſtriadum paueas, Iouis armiger hic eſt:*
*Quas in te iaciat, non habet ille faces.*

## DE IISDEM.

*IT regina auium per ſtemma ſonantibus alis*
*Inq; truces acuit roſtra inimica feras:*
*Pro grege Chriſtiadum victrix pugnare laborat,*
*In Turcam, in Batauos dum ſera bella mouet.*
*Auſtria gens duplici referes ex angue triumphos,*
*Non poterunt Aquilam vincere monſtra tuā.*

## AD FEDERICVM Borromeum.

*DEprendis maculas ſolis Federice, nec in te,*
*Omnia cum videat ſol, videt, & queritur.*

## AD THOMÆ STILIANI Columbeide.

*Conditor Iliados, magni laudator Achillis,*
*Qui canis Hectorea Pergama tuta manu:*
*Tuq. adeò profugis, fundas qui mœnia Teucris,*
*Aſperaq; incerto prælia Marte cies:*
*Cedite, nam maior diuini carminis ales*
*Surgit, & inſolitum iam ſibi pandit iter.*
*Finibus hinc Thules ſuperatis, Herculis illinc*
*Amphitritææ tranſuolat arua plagæ.*
*Ceruitis ecce nouas apereri carmine terras:*
*An famæ vati ſat vetus orbis erat?*

## ANACHORETA.

*Cum vix inciperem tremulis inſiſtere plantis,*
*Maternos placuit deſeruiſſe ſinus.*
*Sæpe mihi ſoles ducti inter ſæcla ferarum,*
*Et nox in ſaxi vertice ducta fuit.*
*Plus villi placuere mihi, quam vellera ſerum,*
*Depulit vnda ſitim, depulit herba famem.*
*Linquite mortales aulas, & limina regum:*
*Saxa mihi thalamus, regia ſilua fuit.*

DE

Digitized by Google

## DE CLASSE NAVFRAGA.

*CErelus æquoreis Nereus equitabat in vndis,*
*Nais, & humenti quem pede Doris obit:*
*Senſit vt inuiſo dorſum ſpumeſcere remo,*
*Perq; cauas vidit turgida colla rates.*
*Quis furor eſt? inquit, ſtant vela tumentia ponto,*
*Impia ventoſus pectora faſtus habet.*
*Nonne meum precor eſt tumido turgeſcere fluctu?*
*Abripite in veſtras turgida colla domos.*
*Dixit, & Æolijs turbans caput omne procellis*
*Obruit infeſto vela ſuperba mari.*

## DE EADEM.

*VIx ſecat innumeris Neptuni cærula remis*
*Regna, ſupercilijs imperioſus Arabs,*
*Cum mare veſano furit implacabile fluctu,*
*Turgidaq; inuiſas ſorbuit vnda rates.*
*Sed tamen Auſoniæ tranquilla per æquora puppes*
*Littora pacato gurgite tuta legunt.*
*Scilicet innocuis prudens mare ſeruijt alnis,*
*Atq; auidis hauſit noxia roſtra vadis.*
*Europæ clades miſeratus vindicat, & te*
*Vltrici Nereus gurgite mergit Arabs.*



Digitized by Google

## AD PHOEBVM.

QVæ cũ Mercurio gliſcit tibi Phœbe ſimultas,
Hoſpitio Vates truditur ecce tuus.
Hoc tamen hoſpitio excipitur facundus alumnus
Mercurij, Vates truditur vnde tuus.
Iam numeros tibi Phœbe tuos, cytharãq; relinquã;
Suggeſtum poſthac, non Helicona colam.

## AD IOSEPHVM RIPAMONTIVM.

PArs animæ dilecta meæ, nunc exue curas;
Tolle manus cælo, plaude ſolum pedibus:
Annuit ecce tuis clementi vertice votis
Iuppiter ille tuus, Iuppiter ille meus.
Ergo Briantæis ſacras in montibus aras
Ponamus Domino: templa petita dedit.

## AD GVIDVM BENTIVOLVM.

CVm te Roma potens Belgarũ immitteret oris,
Et cælum ſtreperet plauſibus omne tuis:
Audijt, & tanto ſtupefactus murmure, victrix,
Belga inquit, ſpolijs Roma triumphat adhuc.
Mox geminas ſpectans Aquilas, ait, arma relinquo:
In me Romanæ rurſus aguntur aues.

AD

## AD FEDERICVM BORROMEVM, dum ſupremis adeſſet auctor.

*O Princeps, Pater artium bonarum,*
*Et quantum eſt hominum eruditiorum.*
*Soſſagus FEDERICE cum ſuprema*
*Pugnat morte tuus, graueſq; letho*
*Vix, nec vix oculos ad aſtra tollit,*
*Ac vix pallidulis tenet labellis*
*Obluctantem animam fugæ paratam.*
*Illud te Pater omnium bonorum*
*Vates flagito manibus poetæ*
*Æternam à ſuperis precere pacem;*
*Namq; amant ſuperi tuos precatus.*
*Iam non funereis peto triumphis*
*Efferri, pheretro ſed vſitato*
*Contentus facibus nitere paucis,*
*Et tum deniq; molliter quieſcam,*
*Si ſaxo cineres meos reponi,*
*Inſcribi iubeas & hoſce verſus.*
*Hos ſaxo cineres iubet reponi*
*Dilecti FEDERICVS & poetæ,*
*Et cultæ nimium memor Camœnæ.*
*Rapta triſtibus artibus medentum.*
*Hos vites, lapis admonet, Viator.*

## IN NESTOREM.

Neſtor vt Inſubribus dicatur Tullius alter,
Innumeris laxat prela voluminibus.
Sed multum tamen ô Neſtor, non multa laboret,
Romanus ſi quis Tullius eſſe velit.

## IN MORTIS EFFIGIEM.

Mortales tua meſſis erunt, mors comprime falcem,
Quid meſſem properas ſternere cæca tuam?
Quin ſæua mors falce furis, dum meſſis in herba eſt,
Saltem immaturæ parce, precor, ſegeti.
Quid loquor ah demens? mors queque tenerima carpis,
Maturam vt ſegetem germina prima metis.

## DE EPIGRAMMATIBVS PHILIPPI Albertini, quę conſcripſit in telam.

Me Stygias maleſanus agit dum terror ad vndas,
Ne vatum neceant ſæua venena mihi:
Albertine tuæ remorantur licia telæ,
Præcipitemq; adeo ſiſtis amice fugam.
Sic tua ab interitu ſeruauit tela ſodalem;
O male texta quidem, ſed bene pexa tibi.

AD

Digitized by Google

## AD PETRVM TOLETVM Oſoriũ Mediolani Gubernatorem.

*ITaliæ pater (hoc etenim te nomine dicam,*
*Sanguinis Italici ſic tibi cura manet)*
*Proh pietas? erit vna tibi victoria nullos*
*Vincere, non hoſtes perdere ſola ſalus.*
*Nolle triumphatos parict tibi mille triumphos,*
*Mille trophæa tibi nolle trophæa dabit.*
*Hæc alijs virtus alios deuincere bello,*
*Te te victorem vincere palma tua eſt.*

## AD EVNDEM.

*ELyſijs Itali Heroes ſi forte recedant*
*Vallibus, & patriæ dulcia regna petant;*
*Ante tuos Tolete pedes procumbere cernas,*
*Paciferaſq; vna tangere velle manus.*
*Mox clament, noſtras prohibe ne barbarus vrbes*
*Deſtruat, & tumulos vis inimica premat.*
*Aduentu Tolete tuo rabida arma quieſcant,*
*Compedibus vinctus damnet & arma furor.*
*Hęc inopina tua cedat victoria linguæ,*
*Infractas franget lingua diſerta manus.*

IN

Digitized by Google

## IN BICIAM.

*CErtè alijs Bicias iuratur iuris Aſylum,*
*Cum rudere haud ceſſet, hic mihi aſellus erit.*

## AD HIERONYMVM MACHIVM.

*MAchi Pieridum cultor venerande ſororum,*
*Credita cui diues Principis arca mei:*
*Officijs tibi dum certas obſtringere vatem,*
*Te merito numeris illigat ille ſuis.*
*Nec muto quondam tumulo damnabere totus,*
*Teq. fuiſſe aliquem poſthuma fama canet.*
*Qua magnus ſol cumque ſuis it curſibus, ibis:*
*Tantum Soſſago te placuiſſe fuit.*

## AD CARDINALEM
### Matheum Barbarinum.

*BArbarico quid diſsimulas cognomine verum*
*Te Latij, & Graij nominis eſſe patrem?*
*Non doctos falles oculos agnoſcimus vnum,*
*Te Latij, & Graij nominis eſſe patrem.*
*Non omnes fallet viſus, ſi rector Olympi*
*Seſe hominem ſimulet, diſsimuletq; Deum.*



Digitized by Google

## AD EVNDEM.

NOn è barbarica cognomen origine ducis,
Diuum aliquẽ cum te vox manifeſta probet.
Non alio cultæ cultrix gens Attica linguæ,
Non alio Auſonius mauelit ore loqui.
Si iuuet æthereos mortalia viſere ciues,
Non alia vſurpent, quam tua verba magis.
Romanus victa cognomen ab vrbe trahebat,
Tu trahis e victa non niſi barbarie.

## AD EVNDEM.

QVi volueris ducit ſiſtenda volumina cœli,
Exitium rebus cum dabit vna dies;
Fallitur, id quamuis Academi ſilua ſonaret,
Et Graium ſtreperet porticus alta ſenum.
Nam cum ſidereæ, Princeps, ſucceſſeris aulæ
Firmabunt curſus ſidera quæque ſuos,
Oblitiq; ſuos concentus ætheris orbes
Purpurei numeros diſcere vatis ament.



Digitized by Google

## AD EVNDEM.

*MAGNE Pater vatum, Phœbi mirantis alumnus,*
*Flos Italum, Romæ pupula, & orbis amor:*
*Ingenio æquales viciſti, moribus annos,*
*Indole viciſti publica vota virum.*
*Impleſti terras meritis, virtutibus æuum,*
*Impleſti cælum laudibus omne tuis.*
*Quid supereſt natura parens quin nouerit Heros?*
*Poſsidet ingenio cætera, mente Deum.*

## IN OBITVM IO. BAPTISTÆ Guarini.

*OCcubuit multo poſſeſſus numine vates,*
*Et queritur ſeſe turba caduca mori?*
*Mors etiam docto latuiſſe in pectore Phœbum*
*Arguit, extincto ſpirat in ore Deus.*
*Lucis honos veſtit, quos ſpiritus exuit artus,*
*Igneus in gelido corpore viuit honos.*
*Eſt vigor intus adhuc, quamuis viduauerit artus,*
*Mors te mortalem dum probat eſſe, negat.*

## AD AMICVM, QVI AVCTOREM tamquam extinctum eluxerat.

*SOſſagus perij, ſed ne mirere loquentem,*
*An neſcis vates poſt ſua fata loqui?*



Digitized by Google

## AD MARCVM VELSERVM.

*IVſſerat intonſi genitor me deuia Pindi,*
*Inq; ſalutatas deſeruiſſe Deas.*
*Quis tibi nate furor primæuum abſumere florem,*
*Dixerat, & cantu continuare dies:*
*Ah ego ſi poſſem tali pubeſcere vultu,*
*Gorgoneo valeat potus ab amne liquor.*
*At iuuet aſsiduis legum impalleſcere cartis,*
*At iuuet in medio dicere iura foro.*
*Tu mihi Velſeri doctos irrepere ſaltus*
*Auctor, & Aonio mergere fonte ſitim.*
*Ergo foue patrijs Phœbeas artibus artes,*
*Mi fuerit potior mens tua mente patris.*

## AD FEDERICVM
Borromeum Cardinalem.

*CArminibus Federice meis patiare rogari,*
*Cum te pro noſtro carmine nemo roget.*
*Muſa precatur opem, ne dedignere precantem,*
*Res anguſta domi poſcere cogit opem.*
*Conduxi hoſpitium precio, preciumq. locator*
*Flagitat, hoc vacuis arca negat loculis.*
*Nominibus multis, alienoq; opprimor ære,*
*Sed non ſoluendo, ſum tamen æris inops.*
*Hactenus hæc ſilui, ſed nunc mea clamat egeſtas,*
*Forſan egeſtatis cauſa ſilere fuit.*
*Et tacitæ (ſic fama refert) perijſtis Amyclæ;*
*Ne taceam, infelix hoc tacuiſſe monet.*

IN

## IN BIBLIOPOLAM.

*QVa tetricæ proſtant ſub noſtra cruenta tabernæ,*
*Biſſia qua Romæ funera nullus emit:*
*Conſpectum temerè mercabar fortè libellum*
*Vndanti baccho, deſidiaq; grauis.*
*Pro denis centum me bibliopola popoſcit,*
*Tunc ego, ſic poſcis bibliopola nihil.*

## IN TOGATVM.

*QVæ Vulcane tibi cum noſtro rixa togato eſt,*
*Vt te vel medio frigore adire neget?*
*Stipitibus tua vis, tua vis eſt noxia truncis,*
*Hinc timet infeſtum te ſibi iure Deum.*

## EPITAPHIVM CINTHII.

*SI te tangit amor noſtrum cognoſcere nomen,*
*Qui luſtras oculis flebile marmor, ades:*
*Tolle ſepulcralis feralia pondera ſaxi,*
*Oſſaq; præualida noſtra reclude manu.*
*Erumpet tumulo radiorum pompa recluſo,*
*Sicq; tuo, qui ſim, munere noſſe potes.*



Digitized by Google

## IN PHILLIDE.

NVtat in ancipiti Phillis dum limine fati,
Et tantæ ſpecies Virginis ægra perit:
Dumq; cadunt oculi ſuprema morte natantes,
Morſq; abſens morti, qua moreretur, erat:
Luminibus tandem defigens lumina, dixit,
Sidera mors nunquam perdere ſæua poteſt.

## AD FORTVNAM.

O Fortuna meos nimis auerſata precatus;
Et nunquam queſtus noſcere docta meos:
His ſaltem tabulis mea tot lamenta relinquam,
Seuitiæ teſtis mæſta papyrus erit.
Spero equidem ſtreperas non ſueta audire querelas
Percipies mutas non niſi ſurda preces.

## DE BRIANTÆO MONTE.

COlle Briantæo cælum ſi Iuppiter ingens
Permutare velit, ambroſiamq; mero:
Iuppiter vt terras peteret, mihi linqueret aſtra,
Nectareoſq; imbres, cælicolumq: dapes.
Iſta Ioui reſponſa darem, tibi ſidera linquam,
Hic liquor in terris me facit eſſe Iouem.



Digitized by Google

## AD LILLAM.

*RAuciſonũ cur Lilla times adcedere Lambrũ?*
*Saxoſum celeri qua pede frangit iter.*
*Flammigeris torrere times an flumen ocellis,*
*Exhauſtumq; caues areat omne vadum?*
*Fac tua verba bibat ſiccatus fluminis alueus,*
*Nobilior curret nectaris imbre tui.*

## AD LAVINIAM GVASCAM.

*NActa tuos, procul Inſubrũ dum viſeret vrbẽ,*
*Extimuit vultus exanimata Venus,*
*Extimuit, totoſq; amens expalluit artus,*
*Et cecidit trepido cæſtus, & arma ſinu.*
*Tum cæſtum pedibus Lauinia proteris, & mox*
*Attonitam placido corripis ore Deam.*
*I Venus, i cæſtu mortalia pectora vince;*
*Mi cæſtus fuerint lumina noſtra tuus.*

## IN LVCVLLVM.

*QVis furor inſtaurare domos, attollere moles?*
*Debetur cunctis manibus vna domus.*

AD

## AD SCIPIONEM Principem.

*QVem Bacchum Princeps vocitas, eſt ſiccior ipſa*
*Pumice, & aridula eſt aridior ſtipula.*
*Ecce tibi ſitiens arenti ſupplicat ore,*
*Vt ſitiens pluuio ſupplicat herba Ioui.*
*Nec guttam aſpergis, tantillo aut depluis auro,*
*An Bacchi longa eſt interijſſe ſiti?*
*Optato tandem Princeps fac imbre madeſcam,*
*Iuppiter eſto mihi, ſic ego Bacchus ero.*

## DE NÆVO.

*AVreola gaudes næuus turgeſcere mala,*
*Te maculam oſtentat mala ſuperba ſuam.*
*His regnare genis gemmarum vulgus amaret,*
*Eſſe tuo optarent ſidera cuncta loco.*
*Et quiſquam audebit maculam te dicere vultus,*
*Cui cæli inuideant, atque Orientis opes?*

## IN STEMMA PHILIPPI PIROVANI.

*ATtratum procul aufer auis Regina Galerum,*
*Namq; tuo fulgens purpura quærit herum.*

M IN

Digitized by Google

## IN EXEQVIAS MARGARITÆ
Auſtriacæ Hiſpaniarum Reginæ.

*Aſpice regales pompæ exequialis honores;*
*Cratæi tumulum dixeris eſſe Iouis.*
*Funereo induitur templi latus omne paratu,*
*Et templi ſedes luridus horror habet.*
*Funereis implet flammis, templumq; coronat*
*Plurima mæſtarum cerea pompa facum;*
*At templo in medio moles complexa pheretrum*
*Tollitur, & facibus prouocat aſtra ſuis.*
*Terrarum inſtar habes, & quas perſoluere vellet*
*Exequias mundus, præbuit vna domus.*

## DE CASEOLIS.
A CYPRIANO MAINERIO
Carthuſiano dono miſſis.

*Muneribus quæ digna tuis nunc munera mittam?*
*Inuideat donis Iuppiter ipſe tuis.*
*Iuppiter ambroſia timidus ſi veſcitur iſta,*
*Nil tremat Oſſæum ſurgere in aſtra iugum.*
*Maior in Æacidem epulis ſe talibus Hector*
*Ferret, & Argolicas vreret igne rates.*
*His dapibus trepidos ſi Turne refeceris artus,*
*Oenotrij regis nata futura tua eſt.*
*Hos Phœbus formauit in Actæo Aracintho*
*Caſeolos, aut hos fingere te docuit.*

DE

Digitized by Google

## DE VERCELLINO VICECOMITE.

QVis Deus in terris mutata fronte vocari
Vercellinus amat? vox manifeſta Dei eſt.
Non hoc ingenium fert immaturior ætas,
Se puerum, loquitur dum Puer, eſſe negat.
Mortales viſus pueri ſub imagine fallit
Juppiter, aut cerebro prodijt ille Iouis.

## IN DIODORVM.

QVæ rabies veſana tuę Diodore crumenæ eſt?
Non obolis inhiat, atque teruntiolis,
Verum quindenos pretium non vile laborum
Vſque Philippæos ſtulta crumena ſitit.
Quin ternos etiam ſtipendia parta per annos.
Marſupij rictus ò nimis horribiles?

## IN CALLIODORVM.

CVm tua Vulcanus modo ſcripta abſumpſerit igni,
Crudelem quidnam vociferare Deum?
Cur Veneris coniux à ſæuo temperet igni?
Non fuit in ſcriptis ſi Venus vlla tuis.

## DE EODEM.

*QVas fortuna vices vbique verſas?*
*Carpſit Iliadem vorax aſellus,*
*At nunc flamma meras aſellitates.*

## IN OBITVM PARTHENOPÆI.

*PArthenopæe cadis veluti flos tactus aratro,*
*Namq; Briantee flos regionis eras.*
*Nec ſpecies oris potuit compeſcere fatum,*
*Atque auidas mortis continuiſſe manus.*
*Dum videt extinctũ pubes lachrimatur, & inquit*
*Triſtis in hoc vultu viuere mors potuit.*

## DE HYACINTHO CONCIONATORE.

*DVm verbis tonitrus Hyacinthe imitaris, & ignes*
*Fulminis, Inſubrum regia tota fremit.*
*Ipſe tuo Deus erumpit de pectore, & vltor*
*Fulminat, & culpas deſtruit ore tuo.*
*Nonne vides templũ faciẽ tremere omne loquẽtis,*
*Et ciues penitus ſoluier in lachrimas?*
*I, ſequere Inſubrum præcordia frangere dictis,*
*Nam cadet ex oculis imber, in imbre nephas.*

IN

Digitized by Google

## IN STATVM RVSTICVM Vincentij Imperialis.

MOntibus vrbanos potuiſti vincere luxus,
Vnde tuum Victor nobile nomen habes.
Quin & ab imperio generis cognomine ducto
Imperium placuit rus ceciniſſe tuum.
Eſt tua libertas nemorum ſeruire puellis,
Et ſunt agricolæ regia turba tui.
Infelix quidnam ceſſat plorare tyrannus?
Imperat, imperio ſeruit & ipſe ſuo.

## IN EVNDEM.

RVra tuo cantu Vincenti attollis, vt optes
E cælo Diuum deſiluiſſe cohors.
Rure tuo mutare ſuas vult Iupiter arces,
Arboribus radios, floribus aſtra tuis.
Iuno ſuas contemnit opes, contemnit & vrbes,
Quas propria Pallas condidit ante manu.
Inuidia cælum palleſcat, & aſtra neceſſe eſt:
Nam cælum ſedes deſinet eſſe Deum.

## AD DEIPARAM VIRGINEM.

CVm moriar Virgo, morienti accurre, voceris
Sic Lucina mihi, quæ mihi Perſephone.

## DE SANTISSIMA VIRGINE.

*Fulmina ſi trepidas nati, venerare parentem:*
*Oppoſita matris fulmina nulla cadent.*

## IN PLESSEUM.

*Dum ius pontificū, & ſacros conuellere faſtos*
*Et Pleſſæa omnes te videt Hiſtorias;*
*Continuo Phœbus iuſtas exarſit in iras,*
*Atque ait inſanus ſomnia quanta refers!*
*O quantum inuigilet, qui dicta redarguet olim,*
*Vix ego ſanarim vulnera tanta Deus;*
*Nec manibus curanda meis veſania mentis,*
*Anticyræ ſuccis, non Heliconis eget.*

## AD CARDINALEM
Borromæum.

*Vna Brianteidum caſtiſſima ſiluicolarum,*
*Sanguine iuncta mihi, pectore iuncta Deo;*
*Attalici menſis non inferiora Tyranni*
*Innocua ſtruxit dulcia liba manu.*
*Ah ne reſpueris nullo fucata veneno*
*Munera, ſilueſtris talia gignit humus.*



Digitized by Google

## AD EVNDEM.

*MAgne Parens vatum, docti ſpes vnica ſæcli,*
*Orantū quot ſunt maxime, quotquot erunt.*
*Cui puero Graī, puero ceſſere Latini,*
*Dum lingua aſſueſcis puber vtraque loqui.*
*Omnia conatus perdiſcere, & omnia doctus*
*Naturæ quicquam tu ſupereſſe vetas.*
*Si placuit cœlum, cœleſtia mente pererras,*
*Si Deus, aſſueſti mente tenere Deum.*
*Sic cum diſcendo Princeps exhauſeris orbem;*
*Vrbis vt imperium ſors neget, orbis habes.*

## AD EVNDEM.

*PRinceps optime Principum dediſti*
*Perdicem volucrem optimam volucrum.*
*Quid nunc muneribus tuis rependam?*
*Ne ſim muneribus, tibiq; diſpar.*
*Qui ſum peſſimus omnium Poeta,*
*Hinc fiam optimus omnium Poeta.*

## IN NÆVOLVM.

*NÆuolus vt caſum videatur ſcire Latinum,*
*A templis aufert munera ſacra Deum.*

## IN GARRICVM.

*HIſpanum Garrice prius quam Marte laceſſas,*
*Cum ſacra bellum relligione geris.*
*Sacrilegam fugiet bellum culpabile dextram,*
*Seſſoriſq; pati fræna recuſet equus.*
*Irrubuere ſacræ feralibus ignibus aræ,*
*Templaque mæſtitiæ ſigna dedere ſuæ,*
*Quæ vexilla petet fauſtis victoria pennis?*
*An vexilla Crucis, quæ male comminuis?*

## IN EVNDEM.

*IN geminum Garrice ruis temerariè bellum,*
*Heſperiæq; premis, cælicolumq; Ducem.*
*Hiccine in hoc adeo deformis ſpiritus ore,*
*Tantus in anguſto pectore Martis amor?*
*Vſque adeonè parum mortale laceſſere bellum,*
*Vt ſuperos etiam ſollicitare velis?*
*Annè Gigas Garrice cupis metuendus haberi?*
*Filius eſt Terræ, nec potes eſſe Gigas.*

## DE THYDEO.

*THydea conſpiciens in tartara Pluto ruentem,*
*Reddetur vetitus manibus orbis, ait.*

DE

## DE THOMA MORO.

*MVndi oculus, q cuncta vides, diuinius ecquid*
*Aut maius Thomæ pectore Phœbe vides?*
*Nec tamen agnoſcit Ciuem Patria impia tantũ?*
*Nox adeo humanis incubat atra plagis.*
*Vrbs quidnam inſipiens Regi, quid conſulis Vrbi*
*Regia? ſi neſcis conſuluiſſe Deum.*

## AD LVDOVICVM SEPTALAM.

*ECce tuus trepidat vates in limine leti,*
*Supremumq; ſibi ſentit adeſſe diem.*
*Tu Septala, oro, per pectus amabile Muſis,*
*Perq. tuum Phœbo nomen amabilius:*
*Perq; manus iſtas, miſeros quibus eripis Orco*
*Mortales, Vatem ne patiare mori.*
*Paſtor ouem quouis ſtudio ſeruare laborat,*
*Curat eques carus ne moriatur equus.*
*Soſsagi fugientem animam tu ſiſte, tua hæc eſt*
*Tota anima, & ſi quid carius eſt anima.*

## IN GELASINVM.

*AVriculas Gelaſinus emit, denteſq. comaſq;*
*Sed perſona poteſt tota minoris emi.*

IN

## IN EVNVM.

ME tecum iunxiſſe Iouem, me Palladis artes;
Iuraſſem iam per Pallada, perq; Iouem:
At ſimul affulſit tenuis ſpes improba nummi,
Fregiſti veteris iura ſodalitij.
Cum temnas præ Dite Iouem, præ Dite Mineruam,
Cum Stygio æternum Dite, precor, valeas.

## IN EVNDEM.

NOn vnquam tantũ fore mi Diodore putaſſem,
Poſſet vt exiguæ præda pecuniolæ,
Firmatum ſtudijs communibus, & ſale multo
Tolleret vt ſanctæ fœdus amicitiæ.
Tu ſatis id duxti violandũ ad numen Amoris;
Sic tibi peccandi qualibet anſa placet.

## DE FEDERICI
### Cardinalis Mula.

LVnari delapſa globo, famulata ſorori
Phœbeæ, socijs cognita ſideribus.
Vicinas ad aquas vatem dum ferre iubetur,
Purpureum hinnitu mula popoſcit herum.
Viſa queri ſecum, mihi ſi Federice veharis,
Tunc meus Aonias excauet vnguis aquas.

## AD EVNDEM.

*SI facili Federice probes, quæ ſcripſimus, apte,*
*Non timeam inuidiæ triſte ſupercilium.*
*Non per Caſtalias iuro, Federice, ſorores,*
*Non per Apollineas, laurigeraſq; comas;*
*Nec iurata mihi cæleſtia numina teſtor,*
*Sidera non teſtor, mos vti priſcus erat.*
*Per manes, nec iuro mei, geniumq; Maronis,*
*Iuro per auriculas, ſed Federice tuas.*

## DE REGVLO.

*DIuina pro re, pro religione Sacrorum,*
*Truderis in cæcas Regule lathomias.*
*Cumq; ſatellitias poſſes vitare cateruas,*
*Magnanimo occurris corpore ſponte tua.*
*Ibas ſponte tua nullis perterritus iris,*
*Hæc ignominiæ forma Triumphus erat.*
*Roma quid exquiris veteris miracula ſæcli?*
*Hunc potes Heroas inter habere tuos.*



Digitized by Google

## DE EODEM.

DVM fremit impietas Romanam euertere ſedem,
Regule damnaris pro pietate neci.
Ire triumphanti ſimilis per aperta viarum
Viſus, & immota ſpernere fronte minas.
Fama tace proauos, & opes, & ſtemmata gentis
Eſt mihi verus honos hæc inhonora pati.

## AD THOMAM GALLARATVM Senatorem.

ALcida numerat denos ſi fama labores;
Nunc manet vndenus te Galarate labor.
Bellua, quæ noſtro ſaturari ſanguine gaudet,
Imperijs in ius venit adacta tuis.
Hæc vinculis mandãda, arctis ſtringenda catenis,
Se cadere in fortes ſentiat illa manus.
Alcidę ſic facta decem tu viceris vno,
Qui delicta domat, non niſi monſtra domat.

## DE IANO LVRCONE.

ALcides ceſſa ſpolium iactare Leonis,
Ianus ouat ſpolio nobiliare capi.



Digitized by Google

## AD LVDOVICVM Beſutium.

BESVTI flos Inſubriæ, cui debeo totam
Hanc animam, & ſi quid carius eſt anima:
Accipe, quæ lentæ fudi conuicia Lunæ,
Cornua dùm nondum ter ſinuata replet.
Quid potui infelix in te committere tantum?
Vt tangi precibus non patiare meis.
Aſpice Pieria quadrans vt nullus in arca,
Marſupium vt noſtrum pondera nulla beent.
Nec tamen optatos properas abſoluere curſus,
Et veheris pigris Cinthia lenta rotis.
Nec vacui miſeret vatis, nec tangit egeni
Cura, ſed es pelago ſurdior, & ſcopulis.
Iam cæli, iam noctis honos, nunc vilior alga,
Iam dux aſtrorum, fur modo lucis eris.
Talia iactabam, ſed negligit illa querelas,
Necdum explet curſus Cinthia lenta ſuos.
Quid faciam infelix? mihi tu Ludouice rogandus,
Argentum vt properes, Cinthia lenta mihi eſt.
Argentum propera, diceris numen amicum,
Et melius quouis ſidere ſidus eris.

IN

Digitized by Google

## IN EPISTOLAS Aquilini Copini.

Regibus appones deterrima quæq; ferarum,
Si non è triuio condiat illa coquus.
Sique laborabis camporum vilia, priſcas
Pontificum iures vincere poſſe dapes;
Talia COPINI felix induſtria promit,
Quæ veterum eualeant ſolicitare famem:
Romuleo comeſa Duci quid gemma ſuperbit?
En olera in gemmas nuper abiſſe vides.

## DE ERICIO PVTEANO, Ciue Romano, & ALBERTI AVSTRIACI à Conſilijs creato.

Neſcius irato Batauus ſuccumbere ferro,
Belgarumq. trahens infera bella Ducem;
Audito Auſtriacum PVTEANO nomen adoret,
Et vis conſilio fracta repente cadat.
Hinc Dux Belgarum ſubitum mirabitur hoſtem
Tam cito, tam ſæuas depoſuiſſe minas.
Hæc eſt Romani facunda potentia Ciuis,
Prælia nunc lingua conficit, ante manu.

PRAE-

Digitized by Google

## PRÆTOR.

PRæturam ſi nos præclarè geſsimus, & ſi
Cuique ſuum cordi ius tribuiſſe fuit:
Inſcriptas ego non tabulas, nec ſaxa requiro,
Sed cupio in veſtris viuere pectoribus.

## PRAETORIS MONVMENTVM.

LAmpugnane tibi ſolemnem ponimus aram,
Namq. parem diuis te tua facta probant.
His in pectoribus ſacrabitur ara, tuique
Nos erimus memores, dum regio iſta Dei.

## DE LVDOVICO SEPTALA.

IMproba dum tuſsis Septalæ concutit artus,
Imaq; letalis poſsidet oſſa lues:
Irato ferit vngue genus mæſtiſsima plebes,
Diſcindit procerum mæſta caterua ſinus.
Agmen amicorum crudelia ſidera clamat,
Atq; vna trepidat præcipitare diem.
Sed Muſis dilectam animam properauit Apollo,
Auctoremq; ſuum reſtituiſſe ſalus.
Inſubribus ſic lucis amor redit omnibus, vnum
Seruatum ſeruat ſic caput omne caput.

ALTER

Digitized by Google

## ALTER SCÆVOLA.

*Scæuola magnanimus, pœnis interrita virtus,*
*Cum iam diuerſis diſtraheretur equis,*
*Aſpiceretq. artus in fruſtra cruenta reuelli,*
*Et diuerſa trahi, talia dicta dedit.*
*Scindimur in totidem partes, quot terra pateſcit,*
*Debetur cineri, nam plaga quæq; meo.*

## IN LAVDEM Alexandri Farneſij.

*Dextera Marte potens, & formidata rebellis,*
*Æmula Romulidum dextera facta Ducum:*
*Belgica concutitur nulla formidine tellus,*
*Vaneſcunt poſito triſtia bella metu.*
*Auſtriacos inter Reges dum, Magne, recumbis,*
*Et roſeo ſuccos nectaris ore bibis:*
*Dic magno Auſtriadũ generi, magnoq; Philippo,*
*En tremit Auſtriacum terra Batauа iugum.*

AD

# PETRO
## CANTONO
## I. C. & Aduocato.

SExtum Epigrammatum meorũ libellum, CANTONE præſtãtiſſime, tibi offero, quem ingenita mihi facilitate fuſum, nec ad incudem reuocatũ, ideo tibi deſtinaui, quia tute optimè noſti, quam importuna feſtinatione amici à me pleraq. extorqueant. Sæpè tamen huiuſmodi pręceps impetus felicius cadit, quam ſi frõtem diu ſcalpas, hæreaſq. in præpoſtera quadam meditatione defixus. Ego ſanè malim placere opinione celeritatis, quam torquere efflagitãtium animos moleſtia tarditatis. Ea omnia coaceruata ſine delectu quodam faſce incluſi, quò libelli iniuſtũ propè volumen excreſcerent. Scis Martialem noſtrum verſibus modo limatiſſimis, modo impolitis inſerſiſſe libros, eaq; varietate fuiſſe commendatiſſimum. Si noſtra cum illo putem eſſe conferenda, omnino inſaniam, edenda tamen erant, ne viderer negligere Cardinalis mei prope conuicia, aut Collegij

leges, quibus repugnare ſine exiſtimationis, & ſtipendiorum iactura nòn poteram. Tibi autem nugarum meorum patrocinium committendum fuit, tamquam acerrimo eruditorum hominum patrono, qualem ipſe ſum expertus, cum fratrem meum capite damnatum ſumma eloquentia, ſummo ſtudio, ſummaq; animi cõtentione liberaſti. Neq; vni tantum clientulo gratis pręſto es, ſed innata animi magnitudine, qua proximè ad diuorum naturam adcedis, deſeris neminem. Obſidetur quotidie limem, pulſantur fores, impletur atrium non tantum ſquallida reorum multitudine, aut ærumnoſo litigantium grege, ſed magna doctiſſimorum virorum frequentia. Nullos alios clientes cariores habes, quam Muſarum cultores. Hos admittis ſine ambitu, ſine prenſatione, ſine faſtu, nec tantum poſtes, & ſecretos lares, ſed intimos animi receſſus aperis. Humanitatem tuam exhibes omnibus, omnes cauſæ victores dimittis, vel tua liberalitate ſubleuatos. Mihi certè non ſolum in rebus omnibus minimis, maximis, quę ad meos pertinerent adfuiſti, ſed vltrò me ſępiſſimè officijs muneribuſq; prouocaſti. Cum tot igitur me nominibus obſtrictum eſſe viderem, hoc tenue munuſculum miſi, vt intelligeres beneficia tua, quando remetiri non poſſum, ſaltem libenter agnoſcere.

BE-

# BENEDICTI SOCIACI

## AMBROSIANI COLLEGII DOCTORIS

## Epigrammatum Liber VI.

### AD FEDERICVM Borromæum.

*CVM thure Eoi, myrrhaq; auroq; Tyranni*
*Ante recens natum procubuere Deum.*
*At meritis quæ digna tuis nunc dona rependam?*
*Ne Regum donis deteriora feram.*
*Pro myrrha, pro thure pio, fuluoq; metallo*
*Carmen erit; regum, carmen adæquat opes.*

## ROMA NOVA.

*OMnia quę vici, cui terra, fretumq; triumphus,*
*Roma parens legum, quæ mihi palma fui:*
*Terrarum ſum Roma caput, lambitq; meorum*
*Pontificum ſacros orbis vterq; pedes.*
*Me magis attollit pietas, quam Martia virtus,*
*Hæc nobis homines protulit, illa Deos.*
*Ponite, ſacrilegæ conuicia ponite linguæ:*
*Exuuijs ego ſum Roma renata meis.*

## AD GRÆCIAM.

*GRæcia vaſta iaces, & vix ſine nomine tellus,*
*Nomina quæ Diuum non peritura dabas.*
*Sed quoq; felici peperiſti ſidere vatem,*
*Cuius opus poterit carpere nulla dies.*
*Vrbibus euerſis, & verſis Græcia fatis*
*Es quoque, cum nihil es, maxima vate tuo.*

AD

## AD CAESAREM BVRRVM.

*OPtares patria me degere Cæſar in vrbe,*
*Exilium patria ſed magis vrbe placet.*
*Si non fartor ego, non argentarius, aut quis*
*Laniſta, aut potius caupo quid hic faciam?*
*Optares Cæſar ſaltem me degere Romæ,*
*Sed Gyari ſedes ſit mihi Roma frequens.*
*Si nec adulator, nec ſcurra, aut dicor ineptus*
*Ardelio, nec ſum ſcriba, quid hic faciam?*

## IN LIBELLVM DE POENIS remittendis.

*EDe tuum tandem doctiſsime Porre libellum,*
*Hunc patria expectat, ſollicituſq; reus.*
*Pœnarum minuit, tormentorumq; timorem,*
*Si cui ferrata compede cruda ſonant.*
*Non meus aſcendet ligna infelicia ciuis,*
*Nec ſæuo dabitur victima crebra mari.*
*Quin ſi tartarea liber ediſcatur in aula,*
*Æquior in manes & Rhadamanthus erit.*

## DE FRATRIBVS NEQVISSIMIS.

QVid conſanguineo felix miſerare vetuſtas
Sanguine Thæbanas permaduiſſe manus?
Heu fratres vllis noſtra hæc mirabitur ætas
A maculis vacuas non habuiſſe manus.
Illi vibrarunt in mutua vulnera ferrum,
In ſcelera hi noctu non memoranda ruunt.
Heu genus infandum, quod poſtera cum ſciet ætas,
Thæbanos fratres dixerit eſſe pios.

## EVGEON.

VOs Diui indigetes, & auiti culmina montis,
Nataleſq; lacus, ſquammigeriq; greges:
Tuq: domus pulſata meis vagitibus olim,
Quæ mihi reptanti cognita terra prius:
Stabitis æternum, ſiquid mea carmina poſſunt,
Et vates, qui vos forte ſalutet, erit.
Tu numeris, tu terra parens augebere noſtris,
Ingenio creſcent rura paterna meo.
Et liceat, cui vos vitales traditis auras,
Vos nunquam illius carmine poſſe mori.



Digitized by Google

## IN ANCIPITEM GLADIVM.

QVis non Ætnæi mucro te nobilis antri,
Vel quis Lemniacæ non putet artis opus?
Et ſua ſorte tua mutaret Iupppiter arma,
Arma quibus latè territat omne ſolum.
Magnanimus tali Capaneus concidit ictu,
Lærnæi tali concidit hydra lacus.
Rurſus Aloidæ vt gemini trudantur Olympo,
Tu formidandum fulmen, & ægis eris.

## IN FACVLAM.

PArua quidẽ facula es, ſed habes incẽdia Troiæ,
Et tua parua domus fumat, vt Vcalegon.
Tu faculas tamen accumulas, nec reſpicis æſtus
In iuuenes Helene quos tua ſemper agit.
Parce precor faculis, nimios iam vidimus ignes:
Quot Paridas Helene, tot gerit illa faces.

## EPITAPHIVM HÆRESIARCHAE.

INfelix cælum viru qui conſpuit atro,
Nunc docet infernum dogmata falſa canem.



Digitized by Google

## IN MALVM POETAM.

ORa gerit maculis interlita carminis auctor,
Et deforme lues aſperat atra caput.
Scilicet effodit vultus puer vnguibus vncis,
Puſtula cum teneris ſerperet atra genis.
Plures per faciem, plures per carmina labes,
Hinc vitijs vultus hæc vitiata putem.

## AD FEDERICVM Borromæum.

ILle tuus vates, non vltima gloria Pindi
Decubuit, rurſum gliſcit iniqua lues.
Sed vultu caruiſſe tuo FEDERICE gemiſcit,
Id grauius morbo iurat, & interitu.

## IN AFRICVM.

AFrice Romuleo nomen ſortitus ab hoſte,
Quid patrios dubitas deſeruiſſe lares?
Anne nouerca placet Stygiarum quarta ſororũ?
An frater? labes hic Phlegetonte lauat.
Ecce fugam monuit monitor tuus: eſto monentis,
Obſequio facilis, quam patruelis eras.



Digitized by Google

## IN OBITVM MARCI FANNI ANL.

PVrpurei ſeſe non eripuere Tyranni
Faucibus è leti, mors ſua quemq; premit.
Tu vir magne tamen duri vim funeris exis,
Non omnis moreris, non tumularis humo.
Mortales fugiens auras cęleſtibus auris
Veſceris, amiſſum nec reor eſſe diem.
Vitalem viuunt vitam poſt funera vates,
Crede mihi, vatum eſt viuere, morte frui.

## DE EODEM.

FLetibus humectas largis quid nobile ſaxum?
Talia num manes dona ſitire putas?
Deſine necquicquam fletu perfundere vatem,
Non niſi cęleſti paſcitur ambroſia.

## IN MÆVIVM.

LAtoidæ recitare caue tua carmina Mæui;
Carmina ſi recites, Marſias alter eris.

IN

## IN QVENDAM NENTEM, dum in ludo litterario verſaretur.

*PElides prius armauit ſua brachia Tyrſis,*
*Martia quam forti ſumeret arma manu:*
*Molliaq; imbelli tenuauit ſtamina dextra,*
*Et telas paſſus tela reliquit iners.*
*Fortior inde tamen proſtrauit mȩnia Troiæ,*
*Mȩnia Neptuni iam fabricata manu.*
*Sic Ludouice paras duro prȩludere bello,*
*Femineoq; operi Martis adhinnit amor.*
*Pullus enim Martis muliebribus vteris armis,*
*Pelidemq; iuuat diſſimulare colo.*
*Gaude ò Mȩonides, Pelides aduenit alter,*
*Gaude Pelides, alter Homerus adeſt.*

## AD IACOBVM RESTIVM.

*SÆpe mihi memoras vates palleſcere cartis,*
*Cum videar nitidam multus amare cutim:*
*Meq; vetas rapiti doctam ſperare coronam,*
*Nil nidoris habet lar Heliconis, ais*
*Nam quæ Parnaſſo ſtruxit cænacula Phœbus?*
*Aona Myrtillus quis tenet antra coquus?*
*Falleris, an tenui erupit furor ille patella*
*Quo canit Ænææ turgidus arma Maro?*
*Scilicet à multo vates tum palluit auro,*
*Mi quia nulla auri copia, nullus ero.*



Digitized by Google

## IN NOCTIS LAVDEM.

QVO dulces nebulæ, caligantesq; tenebræ
Diffugitis? vati lux inimica venit.
Incipiet malegrata dies ſopire labores,
Plena operum felix nox mihi luce fuit.
Luna faces iecit vigiles, Sol ipſe ſoporem,
Somnus erit ſolis, cura ſororis erat.
Nox licet effugias, læto traducere cantu
Mille dies niueos nox licet atra dabis.

## DE GENIALIBVS DIEBVS.

HEu formam vitæ informem? ſolennibus iſtis
Solenne eſt mutos nos agitare dies.
Cogimur inuiſam miſeri traducere vitam,
Dum non mentimur facibus ora cauis,
Nec feſcennino iactamur more, nec vllo
Per fora deferimur murmure, perq. vias.
Exſequimur potius Bacchi cum funere funus,
Feriat Inſubris triſtibus inferijs.
O leges nimium illeges, iniuria iura?
Sic ne aliquid fiat ibimus in nihilum.



Digitized by Google

## VIS VI REPVLSA.

*DVm vulnus caro capiti crudele timerem,*
*Nec tamen in celeri ſpes foret vlla fuga;*
*Exerui dextram, fateor, longeq; tetendi,*
*Ne quateret noſtras vis inimica genas.*
*Auertitq; manus venientem vulneris ictum;*
*Fida velut corpus militis arma tegunt.*
*Et tamen infelix damnatur dextera, quando*
*Arcuit hoſtiles officioſa minas.*
*Quid curam capitis miſeræ natura creaſti?*
*Vna caput ſeruat funere dextra ſuo.*

## AD BARBARAM.

*BArbara dum partum maturas edere, & inſtat*
*Prima dies ſobolis, fit tibi ſumma dies:*
*In lucem tu ſoluis onus, mox nocte perenni*
*Volueris, & fœtum mox peritura paris.*
*Attigit hic vitæ limen, tu limina leti,*
*Spemq; tibi vitæ ſpes vteri rapuit.*
*Attulit occaſum vitę tibi pignoris ortus,*
*Lucifer exoritur, tu velut Heſper abis:*
*Nec certè velut Heſper abis, ſed ſponte nouellum*
*Sidus vt amoto Sole coruſcet, obis.*

DE

Digitized by Google

## DE FEDERICI BIBLIOTHECA, in AMBROSIANAM TRANSLATA.

*Ecce tui docto viduantur pegmate muri,*
*Mæſtaq; nudato pariete tecta ſilent.*
*Non tamen omnino muteſces nobile tectum,*
*Dum tua diuinus limina tangat herus.*
*Graiugenum pro palliolis, pro gente togata,*
*Purpura tam docti Principis vna ſateſt.*

## AD BELLASIVM.

*Dum tibi crura virent, & adbuc flos integer æui,*
*Vmbra nec impubes ocupat vlla genas,*
*BELASI regale tenes penetrale Senatus,*
*Muniaq. incuruo vix obeunda ſeni.*
*Scilicet eſt animus teneris maturior annis,*
*Mens tibi caneſcit moribus, ora virent.*
*Tu tamen æternam vultu fateare iuuentam,*
*Dum merita enumerem, te rear eſſe ſenem.*



Digitized by Google

## IN CINNAM.

Cinna famem dapibus fateor mihi pinguibus exples,
Cinna ſitim Baccho nobiliore leuas;
Sed datur hibernæ ſedes malecommoda nocti,
In qua nec Boreas frigidus ipſe cubet.
Per rimas admiſſa, cauas ſpaciata per ædes,
Sæuibat triſti frigore triſtis hiems,
Et iaculata faces per apertas Luna feneſtras
Errabat tremulis noxia parietibus.
Calcibus obrigui gelidis exangue cadauer,
Alpinis iacui cautibus aſperior,
Tu tamen obducis vinoſas vndiq. cellas,
Neue gelu glaciet dulcia vina vetas.
Hoſpitiumnè cadis curabis tutius ergo,
Ergo cadus vatis corpore pluris erit?

## AD FEDERICVM Borromæum.

Æ Diculam mihi pollicitus, quam ſæpè fuiſti,
Exacta vacuam luce reliquit anus.
Da ſedem hãc Muſis errantibus optimè Princeps,
Fac doctæ agnoſcant limina certa Deæ.
Hanc ſedem Phœbus multa prece flagitat, & me
Incerti vatem neſcit amare laris.
Indignatur enim Deus inquilinus haberi,
Et refugit noſter non ſua tecta Deus.

AD

## AD EVNDEM.

*GRegorij obſidio multum vigilanda peribit,*
*Ni vati ſedes certa tenenda datur.*
*Sic interruptam liquit Theſeida Codrus,*
*Incerta queſtus ſcribere ſub tegula.*
*Et niſi Virgilium tenuiſſet certior ædes,*
*Æneide nunquam vinceret Iliadem.*

## ARMENIVS.

*QVadrupedũ non vile decus, fera neſcia labis,*
*Quæ cœnum peius tangere morte times,*
*Æmulus ecce tui lauro inſignitur, & olim*
*Candidior niueo vellere iura dabit.*
*Hactenus erraſti terris, mox auguror inter*
*Aurea cum Domino ſidera ſidus eris.*

## IN LAVREAM Ludouici Mazentæ.

*DVm conſanguineis miſcentur prælia dextris,*
*Et ſtrepitu armorum ciuica iura ſilent:*
*Deſtinat inuiſas Aſtræa relinquere terras,*
*Et profugum rurſus vertere ad aſtra pedem.*
*Dumq. ſupergradiens varias circumſpicit vrbes,*
*Cultorem iuris te Ludouice videt.*
*Atq; ait, haſce tibi lances committimus, vt ſis*
*Tu cultor noſtri numinis, ipſa tui.*



Digitized by Google

## IN EVNDEM.

MAzenta ſumente togam, atq. inſignia legũ,
Incerta ſuperi ſeditione fremunt.
Mecũ aude capere arma manu Mars efferus, inquit
Caſſide clarus eris, deſidioſa toga eſt.
At Phœbus, meus es iuuenũ lepidiſsime, clamat,
Ipſe tibi mores, ingeniumq. dedi.
Juppiter vt ſenſit miſceri cuncta tumultu,
Porrecta ſedat numen vtrumq; manu.
Atq; ait, hæc habeat tandem diſcordia finem,
Phœbe tuus miles, Mars erit ille tuus.

## DE THOMA MORO.

SAEuus vt infractos ſæuo cum Rege Senatus
Concuterent animos, excuterentq; Deum:
Obſcuro Morus damnetur carcere, clamant,
Cum vita ingentes eripiantur opes.
Mox ſtupet impauidam ceruicem occurrere ferro,
Ferrea Morrus habet corda, Tyrannus ait.
Scire Henrice cupis, qua vi præcordia Thomæ
Infelix frangas, hac ratione potes.
Frangere, frangetur ſic Thomæ interrita virtus,
Dede manus illi, ſic dabit ille manus.

IN

## IN MALOS HVIVS æui ſcriptores.

*ÆGrotare diu me lamentantur Amici,*
*Et cælum mutem Quintiliane monent.*
*Scriptorum cum tot promantur vbiq. venena,*
*Non niſi apud manes conualuiße queam.*

## IN AQVÆDVCTVM PAVLI Quinti Pont. Max.

*ASpicis Euripum Paulo regnante refectum,*
*Imperium vetus hoc ſurgere monſtrat opus.*
*Miratur veteres faſtus, vetereſq; ruinas,*
*Agnoſcitq; ſuas vnda reducta vias.*
*Et quiſquam abnuerit redituram in priſtina Romã?*
*Principe ſub Paulo ſi vetus vnda redit.*

## IN EVNDEM.

*FElix riuus aquæ, veteri qui ducitur alueo*
*Doctus ad imperium repere Paule tuum.*
*Diuinum propius conſpectum pronus adorat,*
*Et ſanctos gaudet lambere poſſe pedes.*
*Huc Nilus cuperet ſeptenos vertere curſus,*
*Hermus & auriferis currere vellet aquis.*
*Iam claſſes molire Pater, mare ſeruiet, & nunc*
*Oceanus fontes ad tua iuſſa ciet.*

## SIREN IN PATERA.

*AVrata, viden, vt patera natat aurea Siren,*
*Vt non auditum gutture carmen hiat.*
*Hanc ego Lenæis ſpumantem roribus hauſi,*
*Incautaq; melos forſitan aure bibi;*
*Dumq; bibi, ſopor obrepſit: ſpumanſne Lyæus,*
*An vox ſopiuit inſidioſa Deæ?*

## IACOBI RESTII IOCVS.

*DVm quereretur herus, quod non ſpumantia ſeruus*
*Mutua ſumpſiſſet pocula ſponte ſua:*
*Nil here iuſsisti, num vis iniuſſa faceſſam?*
*Quænam obeam, iubeas munia, ſeruus ait.*
*Non iubeo, reſpondit herus tibi prandia, cœnas:*
*Et prandes cęnas veſpere, mane, diu.*

## AD IOANNEM VELASCHVM Mediolani Gubernatorem dum Bibliothecam Ambroſianam inuiſeret.

*ACcipe ſurgentes hiberno tempore flores,*
*Quos domus iſta tuo ſidere læta parit.*
*Et dubitet parere tuis Inſubria iuſsis?*
*Si tibi vernat hiems, ſi tibi bruma viret.*

AD

## AD EVNDEM.

VNde noua rident Muſarum limina pompa?
Velaſcus facili lumine tecta beat:
Aſpicis æternos veterum geſtire labores,
Gliſcere lætitia ſcripta ſuperba vides;
Credibile eſt, vt te valeant, Velaſche, tueri,
Doctorum manes huc properaſſe virum.

## AD EVNDEM.

DVm priſci Velaſche Iouis te te arcibus infers,
Vrbs Domina Inſubrũ, Mars venit alter, ait.
Mox dum Muſarum tectis ſuccedis amatis,
Hic mihi mutato nomine Phœbus erit.
Nunc belli ſtudijs, & pacis ad æthera ſurgam;
Thracia nuper eram, Græcia rurſus ero.

## IN EVNDEM.

VNa tibi Martem lux exhibet, altera Muſas;
Ambigitur ſedes debeat vtra magis.



Digitized by Google

## IN POLITICOS.

*Vidimus e cælo ſanctas deducere leges*
*Legiferum Moſem, legiferumq; Deum;*
*Cæleſtes alij afflatus finxiſtis, vt olim*
*Magne Numa Aegeriam, Scipio magne Ioue.*
*Nunc audent cælo humanas opponere leges:*
*Diſsimulant Diuos cernere, non ſimulant.*

## DE FEDERICO Borromeo Cardinali.

*Cede Deo Regina auium, quid bella minaris*
*In Cælum? cælo tu famulata prius.*
*Coniungunt ſuperi noſtro cum principe vires,*
*Principe cum tanto fulminat ipſe Deus.*
*Nunc Chriſtus Deus eſt, fuerat qui Iuppiter olim:*
*Oppugnas ne Deum fulua Miniſtra Iouis?*
*Obſerua ſuperum Federico in Principe Regem,*
*Vince alios Ales maxima, cede Deo.*

AMOR

Digitized by Google

## AMOR SINE VITTIS.

*QVis, precor, inſano vittas diſſoluit Amori,*
*Non ſat erant cæca vulnera facta manu?*
*Quis biiuges adiunxit equos, curruſq; rotaſq;*
*Remigio alarum non ſatis acer erat?*
*Iã quid ſperet amans? eques eſt pedes ante cupido,*
*Lynceus eſt factus, qui modo cæcus erat.*

## IN SYMBOLVM AMORIS, & feminæ.

*PAtricio quondam cretus de ſanguine dextrã*
*Porrigit, & dextra porrigit inde iecur:*
*At diffuſa comas, diſtinctaq; femina frontem*
*Iaſpide dextra offert vbera læua manu.*
*Quis ſine corde precor, vel quis ſine lacte iugatur.*
*Corde tuo Coniux, femina lacte tuo?*

## AD IOANNEM VELASCVM Mediol. Gubernatorem.

INſubria tutela potens, arcere ruinas,
Nos tegere incolumes, oppida, templa, focos:
Finitimos iuſto poteras euertere bello,
Cædibus impleſſes arua, fluenta tuis.
Sed bellare vetas, populos in bella ruentes,
Florentes Italum vertere parcis opes.
Omnia ſeruaſti, fac te tardaſſe parumper
Italia infelix nil niſi campus erat.

## DE MARONIS EFFIGIE.

IN Tabula viuax meditatur carmina vates
Mantous, vitam cui dedit arte Mycon.
Sed dum Centurio propius te ſpectat, & audit
Nobile diuino carmen hiare ſono:
Non canit, Alpinis ſimilis quia cautibus hæret,
Aeneidosq; tuum par ſtupet eſſe melos.

API-

## APICVLA EXTINCTA.

IN genioſa fauos dum fingit in ore Neæræ,
Aemula labra roſis ſæua momordit apis.
Preſsit apem preſsis virgo experrecta labellis,
Quæ ſcopulos animent, labra dedere necem.
Debuit illa tamen, quæ lilia vixerat inter,
Inter Acidalias occubuiſſe roſas.

## DE CATHARINA CANTONA.

SEu Catharis radio percurrat ſtamina, mira eſt,
Serica, ſeu tereti ſtamina pingat acu.
Guttur auis, ſi pingit auem, & flumina cursum
Exercent, at ſi bella, mouentur equi.
Artifices mirata manus, mirata labores,
Ambiguam video Pallada, Pallas ait.

## AD MOPSVM.

ÆRe grauis, ſenioq; grauis, tibi ducitur vxor,
Vtilis eſt tumulo, futilis eſt thalamo.



Digitized by Google

## IN ADVLTERI LECTVM.

QVi medio torus in thalamo conſurgit in auras,
Oſtentatq; oculis ſtragula picta tuis;
Hic Veneris fuit obſcenæ, cum Mulciber olim
Applicuit notos ferrea texta dolos.
Cum nupta hic coniux recuba, experiere cubando
Diſſidium vxoris, deſſidiamq; viri.

## DE PHYLLIDE.

FOrmoſam ſubitus deformat Phyllida pallor,
Langueſcunt oculi, deſerit ora color.
Culpatos animus prodit male conſcius ignes,
Perfidiam macies arguit ægra ſuam.
Nimirum veteres alio tranſmittit amores,
Aduena præfertur qui fugitiuus erit;
Nam qui mutauit cęlum, mutabit amores,
Vtq; fugax patriæ, ſic & amoris erit.

## IN AQVILINI COPINI ORATIONEM De Regis Hyſpaniarum Monarchia.

*DVm Macedo audiret deſcribi Regna Philippus*
*Regna quibus nil ſol maius obire poteſt,*
*Geſtijt ambigua deceptus voce Philippi,*
*Inflatoq; fouens gaudia vana ſinu,*
*En memorat me vox diuina Demoſthenis, inquit,*
*Fitq; recantatis gratior opprobrijs.*
*Vt vero Hiſpani cognouit id eſſe Philippi*
*Diſcretum nullis finibus Imperium,*
*Erubuit, falſuſq; pari ſum nomine, dixit*
*Sed tuus Orator Græcia talis erat.*

## IN AFRICVM.

*ALphius audiuit genitor, tuq; Africe Alexis,*
*Sicq; male audiſti cum genitore tuo.*
*Auriculas vulſit vates, niſi vterq; monentem*
*Audiat, auellat dextera carnificis.*

## DE GEMINIS FABIIS.

CVnctator Fabius dum Pœnum diſtinet hoſtem,
Ambigitur tales anne imitere moras.
Cunctator premere infeſtum nouus abſtinet hoſtem,
Ambigitur tales anne imitere moras.
Confer vtraſq; moras; dubites quę induſtria maior,
Hunc patriæ, hunc videas conſuluiſſe ſibi.

## AD AMBROSIANI Collegij Doctores.

FElices operum ſocij, quibus Itala virtus
Surgit, & antiquos non ita iactat auos:
Inſubriæ parient iam veſtra volumina famam,
Vlterius lungas ſolis itura vias.
Vos fama augebit, ſed vos augebitis illam;
Latior, & ſolito dìdita maior erit.

## AD VINCENTIVM Imperialem.

*Degeneres valeant vaſtis cum mœnibus vrbes,*
*Ruris erit facies maxima Roma mihi.*
*Si capiar poſthac circis, capiarq; theatris,*
*Rura dabunt circos, rura theatra dabunt.*
*Agricolas poſthac totidem cenſebo Quirites,*
*Et Capitolinas concaua ſaxa domos.*
*Ruſtica certabit trabeato turba Senatu,*
*Regia collis erit, purpura ſacra merum.*
*Liueſcentq; tuo Vincenti carmine Reges,*
*Regna gement fieri rure minora tuo.*

## AD EVNDEM.

*AVrea Saturni fulſerunt ſecla, priuſquam*
*Mortales pecudum deſeruere caſas.*
*At poſtquam cinctas habitarunt mœnibus vrbes,*
*Vrbibus incubuit criminis omne genus.*
*Nunc priſcos reuocas Vincenti ruris honores,*
*Innocuoſq; doces ducere quemq; dies.*
*Mortales repetunt ignaram fallere vitam,*
*Incipiunt quoduis dedidiciſſe nephas.*
*Iuppiter exclamat, vacuentur ciuibus vrbes,*
*Aurea Saturni tempora rurſus erunt.*



Digitized by Google

## AD IOSEPHVM RIPAMONTIVM.

*O Ptime amicorũ quid te mea carmina tentent,*
*Nulla valet linguam lingua referre tuam.*
*Non hoc ingenium capit e mortalibus ullus,*
*Atticidas doceas, Auſonidasq; loqui.*
*Eſſe potes tantum tete facundior ipſo,*
*Teq; alius niſi tu dicere nemo poteſt.*

## AD IO. BAPTISTAM SACCVM.

*E Xueram triſtes vultus, & amara fugaram*
*Curarum; Sacci nectare dum madui.*
*Scilicet ille liquor morbum detruxerat Orco,*
*Et letale gelu fregerat igne ſuo.*
*Nunc domitor quoniam morbi me deficit humor,*
*Succubui morbo, deficiuntq; pedes.*
*Deſipui, poſtquam me Bacchi inſania liquit,*
*Quam Bacchi liquit purpura, pallor habet.*



Digitized by Google

## AD BERNARDVM Confalonerium.

*ÆGer adhuc vates, totoſq; gracillimus vates*
*Cogitur inuiſo ſternere membra toro:*
*Et leges Helicona iubent pulſare canorum,*
*In numerumq; nouem ſollicitare Deas.*
*At mea frigenti torpeſcit ſanguine virtus,*
*Cum morbo infeſtat me glacialis hiems.*
*Si vatis te tangit amor, teſtabere morbum,*
*Poſteritas tanti teſtis amoris erit.*

## AD CANTONVM.

*PArs animæ Cantone meæ, mea ſtamina Parcæ*
*Vlterius quando continuare negant;*
*Accipe, quæ memori mandari carmina ſaxo,*
*Noſtra vbicunq; cubent, molliter oſſa velim:*
*Hic iacet extinctus leto Soſſagus acerbo,*
*Viuere dum trepidat, heu temere interiit.*
*Quiſquis ades tumulo, medicam cõtempſeris artẽ:*
*Quæ proferre dies creditur, ars adimit.*
*Cætera funeſto deferri ſueta paratu*
*Mitte precor, vates negligit illa tuus.*
*Pullulet e noſtro laurus ſi forte ſepulcro,*
*Tunc mea, tunc habeat gratior oſſa quies.*

ECHO

## ECHO.

MOntis incola, valliumq; cuſtos,
Auræ progenies, imago vocis
Impotens loqui, & impotens ſilere,
Briantæide dum latens in vmbra
Audiret Federice te loquentem,
Nil poſthac alios morabor, inquit,
Sed te ſubſequar Inſubrum parentem.
Te trans Heſperiæ potentis oras,
Te trans Caucaſeos feram receſſus,
Nec ductor Pudus Italum fluentum,
Nec te littoribus propinqua noſtris
Tybris littora, conſciæque ripæ
Ticini patris, Abduæq. ceſſent
Paſtor magne tuum referre nomen,
At tu purpurei decus Senatus
Phœbi pupula, corculum Mineruæ,
Felix cui neq. litium tumultus,
Nec durus labor, improbæq; curæ
Nec mores potuere ſegnis æui
Doctam crinibus amouere laurum
Diuina emeritum decus loquela;
Non ingens atauum ſeges tuorum,
Nec tantum Tyrij dabunt honores,
Quantum gloria comparata fando.
Hinc quæ tempore neſciet feriri,
Nec flamma metuet, nec imbre ſolui
Quouis Piramidum labore maior,
Te fama eloquij perennis ambit.

Et

*Et certè merito futura Muſæ*
*Reddent ſæcula, cui priora debent*
*Ipſis hoſpitio tuo receptis,*
*Et ſolis feriens vtrumq; littus,*
*Echo te ſine nuſpiam loquetur.*

## AD FEDERICVM
Cardinalem Borromæum.

*HOſpitio dũ me recipis clariſſime Princeps,*
*Munere mens tanto tota recepta mihi eſt.*
*Seruatur Domino vates, & perditus ante*
*Soſſagus morbo redditur ipſe ſibi.*

## DE GEDEONE
extincto.

*QVid tua non poterit Mors ſæua potentia? cælum*
*Immortale poteſt qui potuiſſe domas.*
*Occidit Iſacidum Dux, qui frenauit Olympum;*
*Qui cælum potuit ſiſtere, te nequyt.*

AD

Digitized by Google

## AD FEDERICVM Borromæum.

NON te ſortitum quæreris Federice magiſtros,
Vna quibus teneros fingere cura dies:
Et tamen ambroſia decurrunt flumina lingua,
Flumina Neſtoreis nobiliora fauis.
Nil mortale ſonas, ſi cæli arcana recludis:
Si naturam aperis, docta Lycæa acent.
Vnde tot hauſiſti cæleſtia dona? magiſtrum
Mæonides cecinit regibus eſſe Deum.

## DE THEODORO.

QVid ſæclum inſipiens Theodori dicta refutas,
Cæleſtes tellus, quã malè neſcit Heros?
Humana patitur Theodorus fronte videri,
Qui cognata inter ſidera ſidus erat.
Nunc quando virtus ea non agnoſcitur ingens,
Ad cognata iterum ſidera ſidus erat.



Digitized by Google

## AD GRATAROLAM.

*Ambroſij decus, & Sancti lux unica cœtus,*
*In cuius leges nomen & ipſe dedi:*
*Carolus auctorem decorum te ritè ſuorum*
*Cernit apud terras, cernit apud ſuperos.*
*Te propter Diuum titulis donatur, & Aris*
*Magnus apud terras, magnus apud ſuperos.*
*Hoc igitur tibi iure potes promittere præſens*
*Numen apud terras, Numen apud ſuperos.*

## AD LODOVICVM SEPTALAM.

*Colle Brianteo qua vitea pompa renidet,*
*Abdua cæruleis qua ſpaciatur aquis;*
*Me vitam, Septala, tibi debere fatebor*
*Seruanti gratis meq; meamq; domum.*
*Abdua conſurgens, Septale nomen amabunt*
*Antra, nemus, fluuij, ſaxa referre, refert.*
*Teſtis erit tanti meriti grex mutus aquarum,*
*Grex mutus diſcet tot benefacta loqui.*
*Hos Septala igitur ne dedignabere piſces,*
*Nunc fluuius memor eſt, mox quoq; collis erit.*

## IN ONAGRVM.

*DVm queror indigno mea membra horreſcere morbo,*
*E medicis Onager, falleris, vnus ait.*
*Nimirum mentis caligans lumen hebeſcit,*
*Hoc caliganti lumine vana paues.*
*Nunc inquã agnoſco mihi lumen hebeſcere mentis,*
*Artis enim medicæ tu mihi primus eras.*

## DE HISPANO MILITE.

*AEre cauo dum ſæuit Iber, nec ſuppetit æris*
*Copia, & armorum deficit omne genus:*
*Inuadit fauces, fauces ſua tela miniſtrant,*
*Tela facit dentes ingenioſa manus.*
*Læua cadit ferro; læuam contorquet in hoſtem,*
*Deſtra cadit ferro, prælia truncus agit.*
*Se iacit aduerſos tandem ſe truncus in Indos,*
*Et qua parte cadit, barbara turba cadit.*
*Mentiri nil tale potes veſana vetuſtas,*
*En hoſti excidium corpus inerme fuit.*



Digitized by Google

## DE INFANTE PARMENSI.

*AVrea dum ſoboles Farneſi prodit in auras,*
*Emittit cenſus terra, fretumque ſuos.*
*Venturis illi poſt aſpera bella triumphis*
*Victrices laurus plurima terra parit.*
*Vtq; ſuam cingat patrio diademate frontem,*
*Expuit Oceanus gemmea dona pater.*
*Et niſi cenſeret gentilia ſidera cælum,*
*Lilia, pro cenſu ſidera cuncta daret.*

## IOCVS.

*DVm Septalamus meretricem inuiſeret ægrā,*
*Septala Aſclepi ſanguis, imago Deum;*
*Ecce tibi procerum præter ſpatiante caterua*
*Obſcæna viſus fœda referre pedem.*
*Tunc ait occurrens ſenior mirantibus illis*
*Talia Socraticum tecta ſubire ſenem:*
*Proſtibulo eripui regem, ſciitantibus ecquem?*
*Ille Philippæum protinus exhibuit.*

## IN CRISPVM.

*EThicus, Etnicus eſt Criſpo, cui nomine Criſpus*
*Non potuit rectè dicere, gibbus erat.*

Cur non triſtis hiems abis ſub imas
Terrarum latebras, caputq; condis
Horrendum nimis, obſitoſq; crines
Letali glacie? nec erubeſcis
Os ſordens niuibus, graues pruinis
Oſtentare comas gelu rigentes
Coram Principe Principum ſacrorum?
Terras triſtis hiems abi ſub imas.
Forſan ſigna pedum relicta plantis
Gaudes lambere Principiſq; plantas
Obſeſſas niuibus vias prementes
Contum blandior oſculis adoras
Ah ne læde pedes tuis pruinis,
Ah ne læde gelu caput beatis
Gratum mentibus, Ætheriſq; Regi
Veri cede loco, fugamq; capeſſe
Felix orbita Principi ſacrorum
Conſterni violis, roſiſq; debet,
Debet vere nouo virere tellus
Qua fert cumq; oculos, humumq; ſacris
Luſtrat paſſibus
Heu crudelis hiems quid immoraris
Damnati Phlegetonte ſub profundo
Tu vatem horridulum tuos trementem
Conſpectus viduas hiems herili
Vultu, dum glacie vetas ſuperbis
Vrbis mœnibus extuliſſe greſſus,
Et clauſum aſſiduos tenes ad ignes.

Per

*Per campos raperer, viasq; colonum*
*Sparſas vndiq; villulas obirem,*
*Irem pegaſeo ocyor volatu*
*Depaſcens oculos meos berili*
*Vultu, quo ſuperos beare poſsit,*
*Vultu, quo refugum diem reducat,*
*Quo cæcum nebulis diem ſerenet,*
*Ni crudelis hiems caput profundo*
*Detrudas barathro, ſolum relinquas.*
*Quid crudelis hiems tibi imprecabor?*
*Cum mihi inuideas herile pectus.*
*Te Rex tartareæ tremendus aulæ*
*Clauſam tartareis premat ſub antris,*
*Infigat ſcopulis tuos acutis*
*Inuiſos humeros, tuoſq; duris*
*Arctet compedibus pedes, manuſq;*
*Æternum liget æreis catenis,*
*Dematq; Imperium regentis anni.*
*At totis facibus benè vſtulatam,*
*Semper verberibus nouis gementem*
*Cum riſu Eumenides truces retundant.*

## DE MEDIOLANENSI Seminario.

*ALpinæ rupes, Inſubrumq; arua queruntur,*
*Erigis immenſam dum Federice domum:*
*In planum montes ſe deſcendiſſe gemiſcunt;*
*In montes tellus ſe ſe abiiſſe gemit.*

## DE EODEM.

*INſubres teneros* FEDERICVS *vt educet olim,*
*In patria doctos extruit Vrbe lares.*
*Principis ad nutum properant cum rupibus Alpes*
*Principis imperium geſtit obire lapis.*
*Et quiſquam illius monitis parere recuſat?*
*Qui ſcopulos & vos aſpera ſaxa domat.*

## AD PETRVM CANTONVM.

*PEtre, meas quo ſpes fundaui prorſus in vno,*
*Præſidio cuius ſtat mea fulta domus,*
*Quæ tecum erigitur, tecum inclinata labaſcet,*
*Quodq; trahes fatum, prona ſequetur idem:*
*Hos precor accipias metuentes ſibila verſus,*
*Adde animos trepidis, ſi meruere tamen.*
*Te duce contemnent ſannas, riſuſq; petulcos,*
*Te duce per doctas eſt amor ire manus.*
*Hoſce patrocinio foueas, ne linque clientes,*
*Nec fas patronum deſeruiſſe reos.*



Digitized by Google

# IO. BAPTISTÆ SACCO

## *Ex eorũ numero, qui ſunt à Secretis Senatus Mediolanenſis.*

NOn miraberis, opinor, SACCE præſtantiſſime, tantum me in tua humanitate poſuiſſe fiducię, vt hoc, quicquid eſt nugarum, in lucem ſub tui clariſſimi nominis præſidio prodire voluerim. Noui comitatem tuam, noui morum ſuauitatem, quæ diuinæ ingenij tui dotes oculos iſtos aſſidua ſcriptorum optimorum lectione tritiſſimos, & animum omni venuſtate veteriq; vrbanitate pleniſſimum à faſtu, & indignatione prohibent. Nihil ex ore plebeium, nihil inelegans vnquã excidit. Ita viuis, ita loqueris, vt feſtiuitas, & hilaritas omnis tuis in labijs ſedere videatur. Memini apud te cum eſſemus, vbi amici aliquot menſæ inſtructiſſimæ accubueramus ijs de rebus crebro incidiſſe ſermones, quæ nos ad hilaritatem excitarent, omnesq. genio bonam diei partem donaſſe. Conuenerant enim conuiuæ perelegantes, & faceti, tantumque facetiarum, & ſalis, quãtum ferculorum depromebatur. Tu certè in-



Digitized by Google

ter exquiſitiſſimas epulas, cum eius ſermonem auſpicatus vix in bellarijs remittebas, narrationeſq. lepidiſſimas continuabas nobis obſtupeſcentibus (quibus iam reliqua ſatietatem pariebant, nec quicquam apponebatur tua facũdia ſuauius. Hinc ego te colui, ſuſpexi, non ſolum vt hoſpitem aliquem vrbaniſſimum, ſed ipſa mortalitate maiorem. Accedit etiam affinitas noſtra, quam tecum mihi intercedere tàm libenter agnoſco, quã pudenter glórior. Nemo eruditionis principẽ Primũ Comitem auum meum ignorat, nemo Io. Baptiſtam Fonteium, qui nobile de Cęſiorũ familia volumen edidit, nemo Marcum Antoniũ Maioragium alterum eloquentiæ parentem. Hos omnes arctiſſimo neceſſitudinis vinculo nobis eſſe coniunctos tu ſcis vnus optimè omnium, deq; noſtra cum ijs coniunctione iucundiſſimè loqueris. Te igitur per humanitatem tuam, perq. noſtram affinitatem oro, obteſtorque, vt tantiſper, dum hęc leges, eruditus eſſe deſinas, priſtinam beneuolentiam ne exuas. Quodſi à tè non condemnabor, aliorum ſuffragia non exquiram, etiamſi Reipublicę litterariæ Senatores habeantur.



Digitized by Google

# BENEDICTI SOCIACI

## AMBROSIANI COLLEGII DOCTORIS

## Epigrammatum Liber VII.

### AD FEDERICVM Cardinalem Borromæum.

*Virgineidū canitiem, FEDERICE, mariti*
*Commendas; ſupera plaudit ab arce ſenex.*
*Erumpunt cæli portis in templa quirites,*
*Auribus intentis aurea dicta bibunt.*
*Miratur felix Inſubria, &, edere in auras,*
*Exclamat, vires hunc potuere meas?*



Digitized by Google

## AD AQVILINVM COPPINVM.

*TIcinus ſimul ac Aquilini lactea verba*
*Audijt, Hyblæis proxima verba fauis,*
*Vrbs alias turrita ſuper caput extulit vrbes,*
*Extulit in laudes ambitioſa ſuas.*
*Mox ait, Iſocratem doctæ mirentur Athenæ;*
*Alter at Iſocrates ſis Aquiline meus.*
*Cætera Athenarum ciui ſunt barbara, ego ſim*
*Inſtar Athenarum, ſi mihi ciuis eris.*

## AD ANDREAM BASSVM.

*NAturæ ſecreta mihi dum Baſſe recludis*
*Et mentem æthereis inſeris vſq; plagis:*
*Silueſtrem mutas animum, moreſq; prophanos,*
*Aſpectu cęli me propiore beas.*
*Sic cum te magni Chironis geſſeris inſtar,*
*Me potes Æacidem dicere iure tuum.*
*Quòd tua non animis præcepta tenacibus hauſi,*
*Hoc tuus Æacides ſum minor Æacide.*



Digitized by Google

## IN TVCCAM.

*CVm Tucca aſsiſtas diuinis plurimus aris,*
*Teq; aliquem Diuum credula turba putet,*
*Audes vulturijs, audes impurior ipſis*
*Iſidibus ſacras conſcelerare manus.*
*Saltem parce ſacris, Diuumq; abſiſtito templis;*
*Cum ſemper facias, nil bene Tucca facis.*

## AD IO. BAPTISTAM SACCVM.

*SAcce graui fueram Saturni ſidere preſſus;*
*Saturnum frangunt ſed tua vina grauem.*
*Talibus auſteras vellet deponere rugas,*
*Atq; inter calices incaluiſſe Cato.*
*Talibus æquoreos fluctus euadat Arion;*
*Mæonideſq; dolo Pergama verſa canat.*
*Et cantu meliore ſenex tonet Ennius arma,*
*Infectamq; Maro non ſinat Æneidem,*
*Talia ſi Flaccus delibet, temnat honores*
*Siue Sabine tuos, ſiue Falerne tuos.*
*Et dubitem vacuare mero tua dolia Sacce?*
*Si dare tot Vates talia vina queunt.*

PA-

Digitized by Google

## PARODIA.

Lugete Aonides nouem ſorores,
Et quantum eſt Heliconis incolarum.
Heu ſolatiolum boni poetæ,
Curarumq; leuamen improbarum
Fraudatur merito Crumena lucro.
Ventoſis leuior pilis, & ipſis
Diſpar folliculis, inaniorq;
Ventis ludibrium crumena debet,
Vulgi ludibrium crumena fiet,
Quacum ludere, quam ſinu fouere,
Centum, & lambere baſijs ſolebat,
Et triſtes animi fugare nubes,
Dum textos plicat, explicatq; nexus
Permittitq; frui patente cælo
Numos carcere pene ſtrangulatos.
Nam lætis digitis modo hos, modo illos
Tractare, & numerare geſtiebat,
Quos vates bene neſcitabat omnes,
Vt quis de facie ſuas ſorores.
O factum male, o miſelle vates.
Iam non implicitis ſoluta nodis
Vibrabit radios nitentis auri
Non aſſem, aut obolum, teruncium ue.
Seruabit miſeri crumena vatis.
Non iam nobilibus beata lamnis
Defeſſos recreabit illa viſus
Defeſſoſq; oculos diu legendo.
Tantum nunc cuneos araneorum,

Intexant miſeros vbi labores,
Muſcis inſidias ſtruant pedendas,
Seruabit latebris tenebricoſis.
Ergo delicias periſſe vatis
Lugete Aonides nouem ſorores
Et quantum eſt Heliconis incolarum.

## AD FEDERICVM Borromæum.

GErmanus meus, o benigne Princeps,
Cui nuper dederant potens Aſylum,
Cui tutum dederant locum tuendæ
Vitæ præſidium ſacras ad aras,
Germanus meus obrutus catenis,
Et ſatellitio tuo furente
Auulſus meus repente ab aris
Raptatus mediam fuit per vrbem:
Et iam Luna ſuum repleuit orbem,
Ex quo carceribus tuis ſepultus
Squallet perpetuis fruens tenebris.
O durum nimium, maluṁq; fatum!
Fratrem non poterit iuuare frater
Vates, qui tacitis poteſt ſepulcris
Regum nomina vindicare cantu,
Quiq; auferre animas poteſt ab Orco,
Fratrem non poterit iuuare frater.

Sic

*Sic tu clauderis integelle frater*
*Cæci carceris obſitus tenebris.*
*Orbus ſole tuo, tuo nec vnquam*
*Cælo veſceris obſitus tenebris.*
*Nec te Pierides meæ, nec ipſa*
*Seruauit pietas, nec vlla fratris*
*Nec conſanguineum fides tuorum*
*Tectis eripuere tam malignis.*
*At vobis Deus imminebit vltor,*
*Qui fraudum artifices, doli potentes,*
*Tot commenticijs probris creaſtis*
*Fratri nil merito recens periclum,*
*Qui tot crimina ficta detuliſtis.*
*O factum male, carus ille frater.*
*Fictis criminibus (nephas) laborat,*
*Vitam carceribus trahit ſepultus,*
*Nec ſaltem miſero datur poteſtas*
*Iſto erumpere peſſimo locorum,*
*Vt mendacia teſtibus refutet.*
*Hoc vnum ſupereſt benigne Princeps,*
*Vna vt corripias duos ruina,*
*Aut vna eripias duos ruina.*

# CVRIA PICTA.

*TE Picta ocelle villularum Curia*
*Amata nobis, nulla quantum amabitur,*
*Flexo ſaluto crure, te deoſculor,*
*Tuas lacertis ambio fagos, tuis*
*Cuncta euenire fauſta vinetis precor,*
*Precor malignum longe abire faſcinum.*
*Sed illud hoſpes vnum amicus peruelim*
*Terrarum amores, & Mineruæ corculum*
*Vatis patronum ſoſpites Cantonium,*
*Velim hoſpitales ſoſpites Variſsios,*
*Burros latinis ante deductos agris,*
*Notoſq; fratres mente Spanzotas pari*
*Dilecta Muſis vniuerſa pectora,*
*Priora lacte, lilijs canentibus,*
*Nec non pruinis mane candicantibus.*
*Hæc ſi meorum ſumma votorum fluat,*
*Tantumq; cedat omen ex ſententia;*
*Vatem æmulante Mantuanum carmine*
*Dicere nobis; quam beata dicitur*
*Tellus Maronis, & Maroni Mantua.*



Digitized by Google

## DE VERONICA.

VEr aperis, geminos aperis dum lumina ſoles,
Aſpectuq; tuo terra beata viret.
Nec mutas abſens faciem Veronica veris;
Phœbe vale: abſceſſu Ver abit omne tuo.

## ALLVSIO NOMINIS.

ESſe Deæ verus Veronica diceris Icon
Luminibus, ceſtu, crinibus, ore, manu.
Aurea ſidereas iaculantur lumina flammas,
At ceſtus ſpecies inſidioſa tua eſt.
Sunt radij crines, eſt os formoſius oſtro,
Cordaq; ſunt faciles illaqueare manus.
Sed partes taceo tacitas Veronica, namq; es
Non Icon Veneris nuda, ſed ipſa Venus.

## ALLVSIO NOMINIS.

PVrpureo de vere trahis Veronica nomen,
Namq; tuo ridet veris in ore decus.
Oſtentat frons veris opes, malæq; rubentes,
Et vernant primas labra imitata roſas.
Pectus habet varij confuſos veris honores,
Candentes referunt lilia cana manus.
Perpetui ſic nomen habes Veronica veris,
Nam dum regnat hiems, veris imago tua eſt.



Digitized by Google

## AD IO. BAPTISTAM Vicecomitem.

PRo Comitum genus ante potens dominantibus armis
Dum cadit, & veterum vera propago Ducum.
Non tulit extingui generoſam Inſubria gentem,
Nec penitùs dominos paſſa perire ſuos:
Sed te Ioannes partu connixa ſuperbo eſt,
Et doctas docto cinxit honore comas;
Vt quam frenarunt proauum valida arma tuorũ,
Ipſe nepos frenes nobiliore toga.
Sic collapſa domus conſurgit ad æthera maior,
Et niſi lapſa foret, ſurgeret illa minus.

## DE EODEM.

CÆſarcos toties memorat dũ fama triumphos,
Iactat & Auguſtos ambitioſa duces,
Laureola vinctum moſtrans Inſubria ciuem,
Non hæc Cæſaribus laurea cedet, ait.
Quòd ſi victrices Aquilas faſtoſa recenſes,
Iamiam Aquilas vincet Vipera noſtra tuas.

## AD GVIDVM BENTIVOLVM.
## Apud Gallorum Regem Nuncium.

*BEntiuolum Lucina manu dum ſuſcipit, & dum*
*Guſtantem primos aſpicit ore dies,*
*Accurrunt puero libantes oſcula Nymphæ,*
*Unaq; Bentiuoli ſit tibi nomen, ait.*
*O quàm dulce datum Nympharũ a numine nomen,*
*Hoc, reor, inuenit nomen amoris amor.*
*Bentiuolusnè odio fuerit, cui nomen amoris,*
*Bentiuolus ni amor eſt, dicite quid ſit amor?*

## AD EVNDEM.

*QVàm bene Bentiuolæ ſortiris nomina gentis?*
*Tam bene facta ſequi, quàm benè velle ſoles,*
*Et potes omniuolus dici, cum fundere in omnes*
*Et benè facta queas, & benè velle velis.*
*Sed tibi Bentiuoli potius ſint nomina, quando*
*Nec male facta ſequi, nec malè velle potes.*

## DE MAGDALENÆ LACRIMIS.

*DVm calet infelix maleſana ſaucia cura,*
*Verſat & indignas Magdala mente faces:*
*Ignis Amor ſuperum fœdos extinguat vt ignes,*
*Aduolat, atq; facem corda ſub ima iacit.*
*Nec mora fax oculis fumantes concipit vndas,*
*Plurimus effuſis ignis inarſit aquis.*
*Flammiuomos igitur fundunt hæc lumina fletus,*
*Humor, & eductus pectore fertur amor.*

## AD HERCVLEM PLANCVM.

*IRaſcor; tibi Plance, tibi iraſcuntur amicæ*
*Pierides, puerum quæ te aluere ſinu:*
*Scilicet Aſtrææ ſoboli conuiuia ponis,*
*Nec vatem inuitas, an gula nulla mihi eſt?*
*Num ſolam eſuriunt hederam, laurumq; poetæ?*
*Sedatur tantum noſtra Agamippe ſitis?*
*Non fatuum, mihi crede, feram tibi Plance palatũ,*
*Ingenium laudes in tua fercla meum.*
*Hinc melior veniet noſtra in præcordia ſanguis,*
*Cum melior ſanguis, tum meliora canam.*



Digitized by Google

## AD EVNDEM.

BEntiuoli dum fert cæleſtis nomina cuſtos,
Hoc cognomen, ait, iam tibi nomen erit.
Quamuis Bentiuolæ ſint hæc cognomina gentis,
Bentiuoli ſolus nomine dignus eris.
Bentiuolus nam ſolus eris, cui contigit vni
Et benè velle homines, & benè velle Deos.

## DE INSIGNIBVS PAVLI V. Pontificis maximi.

IAm Draco Pontificis fœlices explicat alas,
Vipereumq; ſuo territat ore genus.
Quis poterit Stygios nunc formidare Dracones?
Romanus toto ſi volat orbe Draco.
Iam ſeptemgemini ſternentur monſtra Draconis,
Et cadet à tanto quiſque Dracone Draco.



Digitized by Google

## EPITAPHIVM PRIMI Comitis aui.

*Pierides multo conſpergite vere ſepulcrum,*
*Laurigerum tumulo figat Apollo nemus:*
*Æterna æternos cineres vt protegat vmbra,*
*Vt docta in violis molliter oſſa cubent.*
*Occidit ecce ſenex Inſubrum gloria Primus,*
*Flos Latij, Grai Laurea, palma Syri.*
*Inſuber hos cineres ſertis perfundat odoris,*
*Lacte Anſon, vino Græcia, thure Syrus.*

## EPITAPHIVM FRANCISCI Comitis aui.

*TEn Franciſce rapit mortalibus ocyor aura?*
*Nec tot vota hominum ſunt remorata nece.*
*Nec quæ morborum diſiecerat agmina virtus,*
*Faucibus è leti te rapuiſſe poteſt?*
*Quæ toties vetuit ſua fila infringere Parcas,*
*Quæq; alios fecit viuere, dextra perit.*
*Quin probitas, quin frontis honos, quin copia fandi*
*Quæ potuit ſcopulos frangere, fracta cadit.*
*Cum pereas dignus vita Franciſce perenni,*
*Nomina poſſe doces non moritura mori.*



Digitized by Google

## AD BRIANTÆOS COLLES.

ET vos ò patrij noſtra incunabula colles,
Graiugenos olim qui tenuiſtis duos:
Vos audite nouum lætanti vertice alumnum,
Caſtaneum auſcultet carmina noſtra nemus.
Theſpiadum dabitis commercia docta ſororum,
Parnaſſi veſtris procubet vmbra iugis.
Sponte ſua florere ſolum, pubeſcere vites,
Et ſpumare canam nectare ſponte lacus.
Sanguine Terrigenum iactet ſe Pelios ingens,
Dum muſtum oſtentes collis auite tuum.

## AD ANTONIVM OLGIATVM Ambroſianæ Bibliothecæ præfectũ.

ANtoni veterum monumenta tuere ſophorum,
Namq; ea virtuti debita cura tuæ.
Theſauris tantorum operum tu ſufficis vnus,
Vixq; ſenex oneri ſufficit orbis Atlas.
Non poſſunt veterum ſeruari ſcripta virorum
Nobiliore viro, nobiliore loco.



Digitized by Google

## DE ZACHARIA.

*VT puer excuſſus tenebroſo è carcere matris*
*Vagijt, attonitus pandidit ora ſenex.*
*Quæq; prius labris mendacibus obſtupuit vox,*
*Ilicet ex hilari gutture proſiluit.*
*Gaudia ſic vocem ſoluunt, quam culpa ligarat,*
*Et patet in facili gutture vocis iter.*
*O qualem affatu vocem dabit aureus infans,*
*Si data vagitu vox inopina ſeni eſt.*

## CHRISTI, ET IOANNIS OCCVRSVS.

*QVid puer exiluit materna concitus aluo?*
*Lætaq; ſuccuſſo pondere facta parens?*
*An quia non licuit cæleſti occurrere regi,*
*Lætitia voluit ſignificare Deum?*
*Vox licet abfuerit, ſalientis more ſalutat,*
*O quantum in tacitis motibus eloquium?*



Digitized by Google

## AD GVIDVM BENTIVOLVM.

*Exiluit paruus materna natus in aluo,*
*Cum ſtetit ante domum numine plena parens:*
*Alterno pueri diffundunt gaudia motu:*
*Ignotos inter ſiccine notus amor?*

## DE EREMO.

*Purpureos tellus in flores vndiq; turget,*
*Dum Zachariades luſtra ſubire parat.*
*Qua fert cumq; pedes, flores comitantur euntem,*
*Verq; nouum condit ſigna relicta pedum.*
*Vis pompa innocua, caſtoq; inſternere luxu*
*Corpus? vbi recubes molliter, antra vides.*

## CHRISTI, ET IOANNIS ortus, atq; obitus.

*Cur ſacer ante Deum naſcentē naſcitur infans?*
*Cur nondum Chriſto vult, moriente, mori?*
*Alter apud terras, apud infera nuncius alter*
*Mittitur, hinc vitæ nuncius, inde necis.*
*Et decuit varios vnum prædicere Chriſti*
*Ortus, atq; obitus, ortu, obituq; ſuo.*



Digitized by Google

## IN PERCVSSOREM.

*IMpie quod facinus furiali pectore voluis?*
*Innocuumnè paras tollere cæde caput?*
*In te verte manus, te ſtricto interfice ferro,*
*Hæc tibi ſors melior, quam ſcelerare manus.*
*O ſtulte, o vecors inſanum deice ferrum.*
*Mille tibi mortes vna peracta dabit.*

## ANACHORETA.

*LVſtro paruus adhuc horrentia luſtra ferarum,*
*Nec iuuat eſſe domi, ſed iuuat eſſe foris.*
*Mollibus exutus villoſas induo veſtes,*
*Tecta placent volucrum, patria tecta nocent.*
*Sed patrios non linquo lares, mihi patria cælum.*
*Hæc ſtat aperta foris patria, clauſa domi eſt.*



Digitized by Google

## DE ANACHORETA.

*Aſpera mirantur Diuum contendere in antra,*
*Antra ſibi regum cum putet eſſe domos.*
*Horreſcunt homines rabidarum luſtra ferarum,*
*Quæ velut Hyblæi iugera ruris amat.*
*Inſcia mortalis, cæli fit conſcia tellus:*
*Quæ latè vaſta eſt, reddita plena Deo eſt.*

## DE ALEXANDRO FARNESIO.

*Terra tulit geminos Magni cognomine reges*
*Ante tuum Macedo, Gallia deinde tuum.*
*Italus alter erat, ſed concidit ante ſenectam?*
*Et magnum infelix vrnula nomen habet.*
*Tertia nimirum timuit ſors nomina Magni,*
*Nulla quibus ſatis eſt gloria, nullus honos.*
*Fata tamen properata iuuant, ſunt funera tanti:*
*Orbe capi toto non potuiſſe probant.*



Digitized by Google

## TIMOTHEO BAROFIO Ticinenſis Carthuſiæ Præfecto.

*QVòd tua cæleſtes ſpirant præcordia curas,*
*Niteris & veterum viuere more patrum;*
*Et magno diſtare putas tamen interuallo;*
*Falleris, aſſequeris numina, non ſequeris.*

## AMBROSIAMA BIBLIOTHECA.

*GRaiugenas FEDERICVS opes congeſſit in vnam,*
*Inq; vnam Latium contulit omne domum:*
*Culmine ſub tanto ſeruatur tota vetuſtas,*
*Orbis in hoc totus clauditur vſq; loco:*
*Cælicolæ hic populos omnes ſeruare poteſtis,*
*Hic Syrus, hic Solimus, Auſon, Achiuus, Arabs.*

## AD ABBATEM BESVTIVM.

*DOna, niger quæ mittit Arabs, mihi mitte Beſuti,*
*Dona quibus tactis albicat atra manus;*
*Illota illotis manibus iam carmina fudi,*
*Carmina, & illotas emaculabo manus.*
*Verſibus incultis te nunc inteximus, at mox*
*Cultus ero vates, ſi mihi culta manus.*

## DE SACRO S. CRVCE.

FVnere dum mulctat Chriſtū, dum funera ſanat
Crux probat eſſe hominē, Crux probat eſſe Deū.

## DE EADEM.

VAſtatur Stygium ligno victore Baratrum:
I nunc, & manes congere in antra Sathan.

## AD EANDEM.

INformis fueras leti teterrima ſedes,
Nunc tamen arbor habes ambitioſa Deum.
His trabibus confixa prius ſunt membra nocentum,
Quam ſcelera horrebant, ambijt ille crucem.
Scilicet auratis ad te deſcendit ab aſtris;
Quam nunc ſanguineo proluit amne Deus.
Quodq; magis mirum, cupidis complectitur vlnis,
Vt manibus quercum vitis amata ſuis.
Lætior ilicea non procubat agnus in vmbra,
Nec ſic materno paruula Virgo ſinu.
Vis triſtes vitare neces, vitare dolores?
Ad quam confugias, cernis adeſſe crucem.

## AD FRANCISCVM ÆLIVM.

*ÆLi delicium nouum ſororum,*
*Æli delicium trium ſororum,*
*Quæ nudos humeros, latuſq; nudum*
*Solis obijciunt dijs videndum,*
*Quæ te ſollicita recenter ortum*
*Suſcepere manu, tuos & artus*
*Formarunt digitis, & irrigarunt*
*Succis nectareis tuum labellum:*
*Heſterna mihi quæ die fuiſti*
*Dona pollicitus, quid exciderunt*
*Ex iſto memori ſinu, tuoq;*
*Iſto è pectore? cui ſodalis hæret*
*Infixus, quibus inſidet medullis,*
*Viua vt marmoribus imago cæſis.*
*Tu fac aridulas amice fauces*
*Vatis purpureo madere Baccho,*
*Quali noſter Horatius furebat.*
*Tum qui pumice ſiccior videtur,*
*Verſus vuidulos, & elegantes*
*Centeno reſupinus ore ructans*
*Te cæli ad nitidas vocabit arces.*



Digitized by Google

## AD N. N.

DEtrahis illuſtres multo quid murice veſtes?
Clarus & obſcura vis latitare toga?
Eſt ſplendor ſordere tibi, ſplendeſcere ſordes,
Pulchrior oſtrina luce cucullа magis.
Hinc ſenio confecta tibi, lacerataq; veſtis
Induitur, nam ſic integer eſſe potes.
Lux auri non raro animi tegit improba noctem,
Tegmine ſub noto delitucre nota.
Pectoris vt ſpecies appareat, exuis aurum,
Nam bene tum virtus, cum male tecta paret.

## DE AMATA AD PARTHENOPÆVM.

COndat Amata manus, quas in te porrigit, oras,
Porrigit illa niues, quæ iacuere faces.
Hæ tibi te rapiunt, hæ te crudeliter vrunt,
Liqueris attacta Parthenopæe manu.
Vnde ſibi caueat miſerorum vulgus amantum?
Nix latet in flammis, in niue flamma latet.



Digitized by Google

## IN CÆSARIS BVRRI ADONIDA.

MEllifera ſediſtis apes ſuper ora Platonis,
Unde Plato dictus fundere nectar apum.
Inſtar apis mellita mihi ſunt carmina Burri,
Faucibus in noſtris hæc repetita ſonant.
Nec Plato me vincet, nec apes, nam dulcia mella
Verſibus ex iſtis ſugere poſſet apis.

## AD FRANCISCVM ÆLIVM.

DEgeneri prius aſſueras flammeſcere cura,
Nunc Æli flamma nobiliore cales.
Mutatur vilis meliori compede compes,
Et ſeruile iugum liberiore iugo.
Stygmatias fucras ſeruili dente notatus,
Nobilitant dominæ nunc tua colla notæ.
Ipſa manu vinctum mittit Venus, ipſa reuincit,
Ferreaq; auratis vincula mutat Amor.
Atq; ait, in gremio iuuenis regnabis herili,
Seruitium famulæ qui male paßus eras.

AD

Digitized by Google

## AD PHILIPPVM ALBERTINVM.

*NAuita remigijs incumbit, arator aratris;*
*Sulcat arator agros, nauita ſulcat aquas.*
*Infelicis anus pronſcindis terga Philippe;*
*Hæc dicetur ager, an tibi nauis, anus?*

## AD VITALLIANVM VICECOMITEM apud Cæſarem Nuncium.

*NVncius Arctoq Regi dum mitteris, & dum*
*Subiectas Boreæ tendis ad vſq; plagas:*
*Fronte tua debes maieſtatemq; latinam,*
*Et ſummum Pauli ſuſtinuiſſe decus.*
*Pontificis faciem referes, & munus obibis:*
*Vitalianus eras, ſed modo Paulus eris.*

## DANVBIVS.

*DAnubius, voueo, æternũ celer Abdua currat,*
*Qui fruitur vultu Vitaliane tuo.*
*Dum tamen, noſtrum tendis veſtigia littus*
*Ne, moneo, longas afferat ille moras,*
*Nam ſecus vndoſos inter diſcordia fratres*
*Sæuiet, & socijs ira reſurget aquis.*
*Si tamen inuidia te forte morabitur amnis,*
*Totus in Inſubriam fonte furente ruam.*

AD

Digitized by Google

# AD IACOBVM Reſtium.

REſtam, ſic iubeo, patrem leporum
Dulces Hendecaſyllabi rogate,
Vt duplex Epigrammaton volumen
Mittat continuo, quibus reguſtem
Graiorum Veneres Cupidineſq;
Et poſsim noua mella mutuari.
Quare, ſi ſapiet, repente mittet,
Quamuis linquere contumax recuſet
Sedes, quas dominus nouis beauit
Vatum delicijs venuſtiorum.
Graiæ ignoſcite mi tamen Camœnæ,
Non vos a domino diu reuellam,
Nec longè patiar diu morari.



Digitized by Google

## AD EVNDEM.

COnuiuæ, moneo, hoſpitis puſilli
Ne totum precor hoſpitem voretis
Neu cellas vacuetis, & lagenas
Aceti miſeras, minutulaſq;.
Non me, nec ſimiles mihi vocauit,
Sed te Reſta parens, bonumq; natum,
Nimirum quia delicatiores.
Quin & ſi cupitis probi videri,
Quamcumq; ingluuiem malam attuliſtis
Seruate hanc dapibus, ſociſq; veſtris,
At tu, ſi ſapis, o puſillus hoſpes,
Iſtos ingenui nimis palati,
Conuiuaſq; gulæ ſuperbioris
Iſtos eſuriem pati docebis.

## DE PETRO GLVSSIANO.

PEtrus inaceſſum cælo caput arduus infert,
Ingenio famam pandit ad aſtra ſuo.
Talis erat Rhodius miranda mole Coloſſus,
Regia Piramidum machina talis erat.
Quæq; tamen moles Petro minor, hic quoq; ſeptem
Suſtineat colles inſtar Atlantis Atlas.

AD

Digitized by Google

## AD IO. BAPTISTAM SACCVM.

*SAcce flos hominum venuſtiorum,*
*Et quantum eſt hominum peritiorum*
*Cras conuiuiolum para, ſaleſq;*
*Sales Cecropidum, Atticos lepores.*
*Cras ad te veniam, feramq; mecum*
*Quantumcumq; habeam facetiarum,*
*Et quicquid fuerit domi iocorum,*
*At tu triſtitiæ para leuamen*
*Rorantes cyathos, minutuloſq;*
*Quales appoſitos ſeni Catoni*
*Inter Socraticos ferunt libellos.*
*Sic vna patulo integram palato*
*Fallemus leuibus diem cachinnis.*

## IN IACOBI RESTÆ TVMVLVM.

*DAnt lacrimas ciues ad lamentabile ſaxum,*
*Nam ſaxum patriæ nobile ſidus habet.*
*Hei mihi non vllis franguntur buſta querelis,*
*Nec gemitus noſtros marmora ſurda bibunt.*
*Quid loquor ah demens? ignorant marmora ſenſus,*
*Hoſpiteq; a tanto non didicere loqui.*
*Sed tamen in lacrimas ſaxum ſe ſoluere vellet,*
*Sed negat in lacrimas durus abire lapis.*



Digitized by Google

## AD HIERONYMVM Centurionem.

NOſtri Centurio Catullus æui
Omnium pater elegantiarum,
Atq. idem pater omnium leporum,
Velim commodites mihi libellum
Iunij aureolum, venuſtulumq;
Huius nam Veneres, Cupidineſq;
Totis ſenſibus ardeo oſculari.
Quem ſi commoditare non graueris,
Jllud, quo tibi gratius nihil ſit,
Iuro me Rapeſuntij daturum
Cartas tardipedi Deo vſtulandas,
Quas vno egregie cacauit anno,
Et cedens miſeræ reliquit vrbi
Di magni, horribilem, ſacramq; peſtem.

## FLORES DONO MISSI.

O Flos Nimpharum, flos ò pulcherrime rerũ,
Cuius ſigna pedum florea pompa tegit:
Non violæ ſumus, aut canentia lilia, ſed nos
Turba ſumus florum, quã tibi mittit Amor.
Sed ſi nos afflent geminum tua lumina ſidus,
Lilia tam nobis, quam violæ inuideant.



Digitized by Google

## AD AQVILINVM COPPINVM.

*O Rem ridiculam, tuiſq; dignam*
*Mi Coppine iocis, tuis cachinnis.*
*Oblongo Nepicillus ille collo*
*Camello, anſeribus, gruum cateruis*
*Diriſq; alitibus vel inuidendo*
*Ille inquam Orbilius gregis tenelli*
*Plagoſus nimis, horriduſq; custos,*
*Qui maturior appetente ſole*
*Nates in miſeras tonat flagello;*
*Ille palliolo breui inuolutus*
*Quo fallente vagis, parumq; cautis*
*Poteſt inſidias parare muſcis,*
*Quem tres cauliculi, & ſelibra farris,*
*Racemi duo tegula ſub vna*
*Ad ſummam prope nutriant ſenectam:*
*Hic miro ordine quolibet dierum*
*Rapta mane toga, fluente braccha*
*Vrbis compita, viculos pererrans*
*Ambiuit proceres, fores obiuit*
*Ciuium volucris potentiorum.*
*Dum cunctis animoſus exhibere*
*Fabellam numeris parat ſolutam.*
*Quod ſi forſan in eruditiores*
*Felix incideret, manu prehendens,*
*Ad fidam quoq; murmurabat aurem*
*Obſcæno nimis atq; biante rictu,*
*Dicta vt ſolliciti die aduolarent.*



Digitized by Google

*Quæris nunc igitur, tuis vt acta*
*Res ſit digna iocis, facetijsq.*
*Ecce plumipedes, volatileſq:*
*Ciues aduolitant labore fracti,*
*Defeſſi miſere omnibus medullis.*
*Ipſe præcipue cibis relictis*
*A menſa vegetus, ſtatimq. ſurgens*
*Ad ſpectacula curro concitatus,*
*Poſtes inuenio ſed obſeratos;*
*Velut iuſticio truci obſtruantur;*
*Inueni reliquos inambulantes.*
*At ecce Orbilius parum facetus*
*Rerum nil hodie geretur, inquit.*
*Tum ſic ex animo rogare cœpi,*
*Quod rem prodigium geri obſtitiſſet.*
*Tunc inſulſior, infacetiorq.*
*Reſponſo ſubit infacetiore:*
*O ingens facinus, malumq; fatum,*
*Exclamat, Nimis impudens iuuentus*
*In ſumptus obolos negat minutos.*
*Inſulſo hoc homine, & parum venuſto*
*Quid inſulſius, inuenuſtiuſq.?*



Digitized by Google

## DE LEONORA.

IAm miſeros arcus, vacuamq; infringe pharetram;
Non Leonora tibi tela miniſtrat Amor.
Sed tibi flammigeros Leonora abduxit ocellos,
Vnde tuas ſolitus ſurripuiſſe faces,
Inſanoſq; maris poteras ſuccendere fluctus,
Vrereq; hiberno flumina dura gelu.
Deſine iam iactare tuas puer improbe vires?
Quas iacias flammas, dic vbi inermis habes?

## DE EADEM.

ASpice Sol, mæſta damnas qui lampade mundum,
Iratoq; negas lucidus ore diem:
Aſpice, quæ toto pallebas inuida vultu
Cynthia, iam bigas exſere læta tuas:
Si puduit veſtris maiores ſpargere flammas,
Occuluit faciem nunc Leonora ſuam.
Plus pudeat, quod ſidereos ſupereminet ignes,
Quodq; Deum propius ſpectat imago Dei.

## DE VITTIS.

LVminibus caſſo reddantur lumina Amori,
Nec dicatur Amor cæcus, ut ante fuit.
Obnubunt vittæ vibrantes fulgura viſus,
Fulgura nec poterat ſæua Cupido pati.
Aſpiciens Leonora tuos male cautus ocellos
Factus erat tanto fulgure cæcus Amor.

## DE VELAMINIBVS.

MEllifer ingratis exercitus inſtrepit agris,
Florilego nullas cum legat ore roſas.
Dum Leonora tuas umbrant velamina malas,
Florea quòd deſit pompa, queruntur apes.

## DE CRINIBVS SECTIS.

DVlces exuuiæ, formoſi verticis aurum,
Vos dominam inuitas linquere fata iubent.
Aurea ſic nitidis rutilabat bractea ramis,
Sic & Phryxeæ nobile vellus ouis:
Talibus optaret radijs fulgeſcere Phœbus;
Maiori Phœbus ſpargeret ore iubar.
Cælicolum regi ni talia dona dicentur,
Hæ, quererer, ſcindi non meruere comæ.

DE

Digitized by Google

## DE IISDEM.

IAm Berenicæum riſerunt ſidera crinem,
Adſpexere tuas vt Leonora comas.
Æternas inter gliſcit diſcordia flammas,
Et varia cælum ſeditione fremit.
Aemula diripiunt varijs ſtationibus aſtra
Virgineas flaui verticis exuuias,
Et ſibi vicina pugnant in ſede locari,
Adiungi ſocias ſidera quæq; vocant.

## IN LAVREAM NICOLAI Variſij Roſati Comitis.

O Toga ter felix, cui tangere nobile corpus,
Doctaq; Nicolei cingere terga datur.
Quantus erit, denſo faciet cum verba Senatu?
Quantus erit, populis cum ſua iura dabit?
Ipſa laborabis turba fluitante clientum,
Ibis & in medium conſpicienda forum.
Sis villoſa licet, tamen hunc ſi Curia habebit,
Inuideat villis regia palla tuis.

DE

Digitized by Google

## DE VIRGINE SACRA.

QVam bene ſecretis gaudet caput abdere clauſtris,
Vt poſſit vita cælibe virgo frui.
Vadit ouans non maternis reuocata querelis,
Ire recuſantes increpat vſque pedes.
Non ita quadriugo victrix Capitolia curru,
Non ita regales ſcanderet illa toros.
Sic ſua tartareo ſubduxit colla Tyranno,
Impoſitoq; ſibi libera facta iugo eſt.

## DE EADEM.

IAm zephiri terras mulcent melioribus auris,
Necdum purpureo vere ſuperbit humus.
Nam Leonora latet ſecretis abdita tectis,
Quæ vultu poterat pandere veris opes.
Ah zephiri durabit hiems, vos tollite vittas,
Ne ver inuideant virginis ora ſuum.

DE

## DE VNIONE.

*LVcida gemma, tibi dono quã mittimus Aegle,*
*Decidit ex oculis humida gutta meis:*
*Obriguit ſed miſſa tibi mutata figuram,*
*Duritiem didicit pectoris illa tui.*
*Non credis? fac te flammis ardeſcere amoris:*
*En lacrimæ, dices, qui lapis ante fuit.*

## DE EODEM.

*MItteris Eoo veniens de gurgite gemma;*
*Gemma vel ætherias inter habenda faces:*
*I felix ſacræ articulos preſſura puellæ;*
*Illa puellarum, tu noua gemma maris.*
*Si te permittet digitis, tunc gemma vocaris:*
*Siq; neget, lapis, heu, non niſi vilis eris.*



Digitized by Google

## AD IO. BAPTISTAM SACCVM.

*VRbaniſsime ciuium meorum*
*Da faſſo veniam; ſcelus peregi*
*Immane, Oceano nec eluendum.*
*Non eo inficias, ſed erubeſco*
*Præſens id ſceleris tamen fateri.*
*Quare audacibus, impudentibuſq;*
*Narrandum hendecaſyllabis relinquam.*
*Narrate hendecaſyllabi procaces*
*Rem perridiculam, & nimis pudendam.*
*Erubeſcere non poteſtis ipſi*
*Perfricta facie, æreoq; vultu.*
*Ripamontiolum meum ſodalem*
*Conueni, atq; adeo diu rogaui*
*Mecum palliolo repente rapto*
*Ad conuiuia lauta peruolaret,*
*Sacci ſignificans vocationem.*
*Tum vero lepidas, & elegantes*
*Tuas litterulas dedi legendas.*
*Poſt tot, durus vt eſt, rogationes*
*Defeſsus prece, contumelijsq:*
*Oblata annuit accubare menſa.*
*Iam ferclis inhiare cœperamus,*
*Et greſſus properare concitatos:*
*Ego præcipue eſuritionum*
*Fideles comites famem, ſitimq;*
*Siccis faucibus aſper afferebam.*
*Sed ecce horribilis repente nobis*
*Fertur nuncius, improbuſq; rumor*

L A Te

*Te conuiuia diſtuliſſe lauta.*
*Demiſi faciem, manuq; pectus*
*Percuſsi quater, & quater recuſsi;*
*Quippe qui genium mei ſodalis*
*Fraudarim dapibus tot eſculentis*
*Cunctando nimium, moras trahendo,*
*Et mihi ſthomacus voraginoſus*
*Latrans ingemuit, grauemq; ſenſi*
*Singultantibus ilijs dolorem.*
*Quare fac tibi ſumtuoſiore*
*Conuiuas cito lenias paratu.*
*Non minus tibi Sacce ſiccitatis,*
*Aut famis minus, & gulæ afferemus.*

## AD VITALLIANVM VICECOMITEM Borromæum, dum puber eſſet.

*O Lux Inſubriæ, regalis ſanguinis hæres*
*Regius, anguigerum vera propago Ducũ:*
*Tu candore niues, Dodonæ oracula dictis,*
*Solis aues acie, fulgura mente præis:*
*Mortales ſpecie præuertis, moribus annos,*
*Ingenio Graios, Romulidas animis.*
*Canities ſtupet ipſa tuam mirata iuuentam,*
*Canitiemq. animi cuncta iuuenta tuam.*
*Itala terra ſuum iactat tumefacta nepotem,*
*Atq. ait, è noſtro ſemine natus hic eſt?*

## IN LAVREAM EIVSDEM.

CVr tibi Sideream frontē frons implicat Heros?
Tantanè de tenui germine fama manet?
Hoc caput expoſcunt mitræ, regumq. tyaræ,
Purpura vult crines ambitioſa tuos.
Quid toga cum trabeis, quid cū diadcmate baccæ,
Quid cum laurigeris inſula ſacra comis?
Sed cape laurcolam, cape ſortis ſigna futuræ,
Mille tibi laurus ſcilicet vna dabit.

## DE EODEM.

QVòd tibi deſeruit gentili in ſtemmate ſerpens,
Tergeminum capiti cui diadema ſedet:
Non temerè in patrijs ſerpens conuoluitur armis,
Sed regni augurium dat, mihi crede, tui.
Quid dubitas? meritis non ſunt indebita regna,
Nec fortuna tibi læua negare poteſt.
Nemo poteſt merita te te fraudare corona.
Si tuus eſt ſerpens quis diadema neget?



Digitized by Google

## IN STEMMA VICECOMITVM.

*ASpicis, vt lauro circundatus emicat anguis?*
*Inſubridas vrit, non furit igne nocens,*
*Fulminat eloquio, non ſibilat ore trilingui,*
*Non hiat hic ſaniem, nobile carmen hiat:*
*Nectareas hic ſpumat opes, non triſte venenũ,*
*Non mors ore riget, ſed natat ore Venus.*
*Ne ſibi monſtifera placeat nunc gorgone Pallas,*
*Exanimat ſerpens Palladis, hicq; animat.*

## IN IDEM.

*FAucibus his mortẽ non ruſticus effugit hoſtis,*
*In quibus infantem voluere membra vides.*
*Innocuis teneros commendat hiatibus artus,*
*Nil ab hiante puer nobilis ore timens.*
*Lætior in patria ſolus non luderet aula,*
*Non ità materno fideret ille ſinu.*
*Vt Ciues fugiant mortes, puer alme, neceſſe eſt,*
*Confugiant poſthac Anguis ad ora tui.*

DE

## DE VINCENTIO CABALLO.

TIcinum Delo remeans dum proſpicit amnem
Obſtupuit vultus diuus Apollo tuos;
Obſtupuit, nec ſe ſe unquam cognouit in ipſo,
Dum tacito dubium lumine corpus obit.
Sic oculis, ſic ore Deus, ſic deniq; lauru,
Tam ſimilis Phœbo, Phœbus vt ipſe ſibi eſt.
Tandem ludor, ait, pharetram mihi ſurpuit olim
Mercurius, tamen hic me mihi ſurripuit.

## AD IO. BAPTISTAM SACCVM.

EMiſi, fateor, mendoſum Saccè libellum,
Forte deeſt plagis, vulneribuſq; locus.
Horribili macie tamen, vlceribuſq; pudendis
Acceleres medicas flagitat vſque manus.
Vlcera, proh diuum pietas? informia totos
Deturpant artus, horribiliſq; lues.
Tu ſanare potes laceros crudeliter artus,
Tu ſanare mea vulnera facta manu.
Exanimes te fama canet reuocaſſe ſub auras,
Hippoliti lacerum funus amice vides.

# BENEDICTI
# SOCIACI
## Ambroſiani Coll. Doct.

Odarum

LIBRI DVO.

Digitized by Google

Digitized by Google

# GASPARI SCIOPPIO V. Clariſſimo.

ODARVM libellum tibi cur offeram tumet vides, Scioppi clariſſime, & quiſquis diuinam ingenij tui vim perſpectam habet. Si enim calculum tuum feram, non dubitabo de reliquis ſcriptorum cenſoribus, quorum mira conſenſione tuum iam nomen nō pro erudito, ſed pro eruditione vſurpatur. Accedit etiam humanitas tua, qua me, ſimul ac vrbē Mediolani attigiſti, ſuauiſſimè conplexus es, in tuamq. familiaritatem ſumma cum facilitate morū penitus admiſiſti. Dici vix poteſt, quantos ex vna noſtra congreſſione fructus perceperim, quam rerum abditarum cognitionem ſim aſſecutus. Pauca certè ſpacia confecta tecum me plus erudierunt, quā inambulatiōnes Peripateticorum omnes, aut ſilueſtres conſeſſus Academicorum. Sed me rapuit illa

feſtiuitas, qua ſermones cõdiebas, illi Attici lepores, illi Romani ſales, & his omnib⁹ plus dicam, tui, Quam ingenij amenitatem, & venuſtatem, ſeu potius libertatem loquendi in his fortaſſe carminibus agnoſces, nec hilaritatem, quam in vini commendatione interdum quæſiuimus, reprehendendam eſſe iudicabis. Græci quidem, & Latini ita ad hanc partem poeſeos accedebant, vt cyathos e manibus nunquam dimitterent. Vides Anacreontẽ apud Grecos inter epulas ſemper lyram tractantem, & maiora pocula, ſiquando caneret, alta voce poſcentem. Vides Horatium apud Latinos temulẽto ſimilem, nec intra temperantiæ fines ſe continentem. Nimirum ſobrietatem inurbanam odere Muſę, neq. os ſiccum, & barbam mero numquam madentem lubẽter aſpiciunt. Nos igitur merito veniã impetrabimus, ſi qua ſuperioribus annis adhuc imberbes temere effudimus, ſiq; paulo liberius ſacra Libero fecimus, cum id fraudi non fuerit grauibus viris, & ſapientię fama commendatiſſimis. Tu vero V. C. apud ſeueriores etiam excuſabis, niſi exueris Vrbanitatem illam ſermonum, quos mutuo nuper inter pocula ſeruimus, & Odarũ Librũ ea comitate admittas, qua tũ explicatis me rugis, & exporrecta fronte ad epulas admiſiſti.

ODA.

# ODARVM LIBER PRIMVS.

## ODE I.

## IN AVREVM ANTONII RVSCÆ

Collegæ mei de voluntate diuina volumen, & Muſæum temere flammis abſumptum.

*Nudata palmis tundite pectora,*
*Et glauca ſalſo lumina flumine*
*Rigate diſcißæ capillos*
*Aonij nemoris ſorores.*
*Laxate habenas mæſtitiæ, ſonis*
*Implete mæſtis aera, & aſperis*
*Vrgete Vulcanum querelis*
*Indocilem cobibere vires.*
*Rex ipſe Apollo concutiens caput*
*Damnet furores ignipotens tuos*
*Vulcane diuinos fauillis*
*Carpere nil veritus labores.*
*Ignara fletus lumina cœlitum*
*Non vſitato rore madeſcite.*
*Arcana cum recluſa cæli*
*Sacrilegus violarit ignis.*
*Arcana cæli ſuaue loquentibus*
*Commiſſa cartis heu tepor improbus*
*Conſumpſit, æternaſq; docta*
*Mentis opes, animiq; fœtus.*



Digitized by Google

*Quos alma dio rore rigauerat*
*Madens venuſtas nectare myſtico,*
*Et ſponte præſens emphaticis*
*Inbuerat Deus ipſe verbis.*
*Crudelis ignis tam lacrymabile*
*Fatum cadentis non fuit Ilij,*
*Argiua cum pubes dolo*
*Pergama depopularet igni.*
*Non auſa templum vertere Delphicum*
*Iam flamma cladem perſimilem dedit,*
*Nil tale moliri Neronis*
*Excidium meditantis vrbis.*
*Quem non remordet ſæua licentia*
*Monſtri furentis? heu nimium impotens*
*Orbi nocere, rebus vnum*
*Omnibus exitium timendum.*
*Terras per omnes ibit ouantibus*
*Flammis, ſupremus cum veniet dies,*
*Æquæ tyrannorum vorabunt*
*Regna faces, populiq; fundos.*
*Non parcet olim culminibus Ducum,*
*Non flamma paſtorum innocuis caſis,*
*Vulcanus immiſſis habenis*
*Per miſeras equitabit vrbes.*
*Immane fatum, conſilijs Dei*
*Plenum volumen, quale vetuſtior*
*Non vidit ætas, nec videbit*
*Poſteritas melioris æui.*
*Heu conflagrauit, vt aliorum manus*
*Peſtem vagantem extinguere debuit:*
*Siccine ſpectarunt ocelli*

Æthe-

*Æthereos periiſſe ſenſus.*
*Nugas aniles, amentis ineptias,*
*Iactura parua eſt, flamma vorax edat,*
*Inſana ſcriptorum malorum*
*Ludibria obijciantur igni.*

## ODE XI.

## IN AVAROS.

Damnatur recentis æui cura in cogenda pecunia, tranſmittendiſq; in domum hæredibus, contra Federici Borromæi Cardinalis liberalitas in fouendis bonis artibus commendatur.

*IAm iam recluſit Tartareos ſpecus*
*Rimator [illegible]*
*Horreſcit inuiſum [illegible]*
*Ore diem, ſuperuſq; [illegible]*
*Latrauit auras Cerberus inſolens*
*Haurire ſoles, monſtraq; [illegible]*
*Caliginem [illegible]*
*Nubibus [illegible] Olympum.*
*Metas reuellunt Oceano ſuas*
*Sudantq; mundi, clauſtra refringere,*
*Terræq. non aſpecta quondam*
*Viſcera perfodiunt auari*
*Suis arenis auriferi, nephas,*
*Orbantur amnes, ſquammigeri greges*
*Impune ludunt, quippe gemmis*

Inſidias meditantur hami.
Non ſic vetuſtæ ſanguis originis
Pallebat auro concolor improbo,
Non ante nummorum ſceleſtas
Sæua fames fabricabat vrnas.
Damnata priſcis cura pecuniæ,
Vitata letho peior, & vnica
Virtute defixi ſuperbam
Trans tumulum petiere famam.
Hos æmulatur greſſibus Inſuber
Auguſtus æquis, qui profugas dies,
Alteq; demerſos ab orco
Ingenuas reuocauit artes.
Quin barbarorum finibus emit,
Vt ſeruet altis ſub penetralibus
Libros, & æternos ab omni
Vindicat interitu labores.
Ille, ille faſtus ſub pedibus premit
Faſtidientis cuncta ſuperbiæ,
Huic priſca maieſtas, & omnis
Conditur in gremio vetuſtas.
Ditatq. aceruis prodigus aureis
Vndas egentum, iam meritum caput
Attollit aſtris, iam propinquos
Sidereo videt ore Diuos.

## ODE III.

### AD PETRVM CANTONVM.

Cantone ſanguis Romulidum vetus,
Spes innocenti maxima curiæ,
Tutela vatum, ſpe lucrandi
Neſcius indociliſq; flecti:
Iamdudum ocellis te ſitientibus
Longè requirit, præcipita moras,
Totis paciſcuntur clientes,
Matures reditum fide
Certa obligatum; deſere, deſere
Luſtrare doctis paſſibus undiq;
Siluas fatigatas niuoſis
Molibus, indecoreſq; campos.
Iniurioſo quid Boreæ tenes
Ventorum apertas, & furijs plagas?
Omitte mirari citatis
Obſequioſa rotis fluenta
Durare plauſtri, ſtiria & hiſpidas
Ridere barbas ruricolum ſenum.
Quid ſtare contemplaris Alpes
Horribili glacie rigentes?
Cunctaris vltra ciuibus incolas
Mutare agreſtes, vrbe mapalia?
Cum rura deſolata mutet
Hoſpitio meliore ridens
Agmen iocorum, & turba cupidinum
Siluis in vrbem deuolet, arduis

*Et Cypris Inſubres reuiſat*
*Vecta ſuis per inane Cygnis.*
*Panes furentes, & Satyrum manus*
*Armata tyrſis compita peruolant;*
*Crebriq. Silenes repandis*
*Procidui titubant aſellis:*
*Haſtas & ipſæ pampineas gerunt*
*Actæ lyei turbine Thyades;*
*Dant colla ventis, ac frementes*
*Orgia ſe furiant per vrbem:*
*Ne te te amatis ſubſtrahe manibus*
*Iuſtis amici vocibus increpant*
*Diu morantem, totq; ſoles*
*Ore tuos viduos recenſent.*
*Prægeſtientes currere in oſcula*
*Natæ gemellæ deproperant tuum*
*Laſſare ceruicem lacertis*
*Colla per implicitis, & ardent*
*Tractare vultus: iam titulo vehi*
*Quocumq; mauis, poſcit hiems vados*
*Deplere plenos, te ſodales,*
*Te ſociæ reuocant Camenæ.*

*Ode*

## AD IVLIVM ADOLESCENTEM.

Suadet iuuentutem otio torpentem, tenendiſq; armis ineptam, ne audeat bella capeſſere.

*IVli cruenta martis imagine,*
*Mirèq; captus turbine bellico*
*Strages fremiſcis, teq; ſaeuis*
*Cingit amor maleſuadus armis.*
*Cur erubeſcis innocuas adhuc*
*Neſcire vires fundere ſanguinem?*
*Et cædis ignarum nefaſtæ*
*Deproperas ſceleratum ferrum?*
*Belli voluptas te lachrymabilis*
*Feſtina cogit ſpiritus puberem*
*Aptare dextræ apta thoracis*
*Et gladios, aliuiſſe faxe.*
*Heu laude formæ, cur tibi diſplices*
*Inſane? dulces torue quid aſperas*
*Vultus ſubiraſcens virentes*
Flore genas vidui maritis?
*Pugnæ execrandam mitte cupidinem,*
*Suſpende cædes, puluere Martio*
*Ah' parce fædaris laborum*
*Dum patiens tibi reptat ætas.*
*Hæc unde virtus prodiga ſanguinis;*
*Tu forſan armis pectus idoneum*
*Implere Thoraces valebis?*

*Quaſq;*

Digitized by Google

Quaſq; manu geris acer haſtas?
Pinum lacertis corripis imparem,
Caſsiſq; lædit non habilis comas,
Parere calcari ferocis
Ilia cornipedis recuſant.
Inuita Martis pondera non vides
Vix heu paternis poſtibus eripi?
Si tanta bellandi voluptas,
Tuta cie ſimulacra belli.
Nil hic nocebunt tela, nec arcus,
Quem ſtringis, enſis, non furor hoſticus
Ferrum retorquebit decoros
Permetuens violare vultus.

## ODE V.

## IN LAVDEM PRINCIPIS Velaſchi.

Cum ciuili bello arderet Italia, auctor flammam latè tanti belli ſerpentem ſedatam fuiſſe lætatur.

Nunc ò ſoluti pectora bellico
Ciues tumultu, nunc vacui metus
Per tecta diffuſi, per vrbem
Appoſitis date vina menſis.
Libanda Ibero pocula Principi.
Pugnas frementem vinxit aheneis
Nodis furorem, ſeq; centum
Congemit implicitum catenis.

Mai

Mauorſq; campis exul ab Italis
Longè recedit, quin procul auebit
Secum timores, adq. Perſas
 Inſidiæ comites, & iræ
Fugere triſtes, pro quibus ambulat
Pax alma caſtis iuncta ſororibus
Lætas per vrbes, in ligones
 Fulminei recoquuntur enſes.
Haſtas iuuentus iam laquearibus
Altis refigit, telaq; poſtibus
Donat paternis, quæ pararat
 In miſeras ruitura cædes.
Nullo fugantur otia claſsico,
Tutum pererrat lanigerum pecus,
Siluæq; pacatiq; colles
 Nec gladios trepidant, nec ignes.
Tu Muſa frondes pacificas lege
Plectens coronam, lilia cum roſis
Innecte Vclaſcho, caputq.
 Impedias viridante myrto.

## O D E VI.

## AD PETRVM CANTONVM.

ARtus lethiferis obruta puſtulis
 Quòd te deſeruit nata ſuperſtitem,
Ceruicem quatis aſper,
 Et ſurdas ſuperum fores
Queſtu ſollicitas; illa volubilis



Digitized by Google

*Miratur celeres ætheris impetus;*
*Exultimq; per orbes*
*Geſtit ludere lucidos;*
*Stellas tangit enim carpere credula,*
*Herbas ſueta prius carpere paruius;*
*Et ſecura malorum*
*Errat regna per aurea.*
*Natam perpetuæ non querimoniæ,*
*Non reddent lacrimæ, cui ſemel Atropos*
*Dulces clauſit ocellos*
*Somno mortis aheneo.*
*Quo fugit color heu frontis amabilis?*
*Quo ceruicis ebur? formaq; noxias*
*Placatura nouercas?*
*Quo fax viuida luminum?*
*Cuncta hæc ſurripuit Perſephones manus.*
*Mortali properant innocuo breues*
*Annos fata, ſenectam*
*Permiſura nocentibus.*
*Heu quam mane nouum ſurgere viderat,*
*Pubentem folijs, reſpicit Heſperus*
*Preſſo flore comarum*
*Conſtrauiſſe ſolum roſam.*

ODE

## ODE VII.

### IN SICARIOS,

Sanguinarios Ciues triremi addictos à Fontano vrbis præfecto inſectatur.

RArius mortes, & iniqua vendunt
Funera, inſanum mare parricidæ
Vrbe detruſi feriunt acuta
Cuſpide remi.
Exulat cædis pretioſus emptor,
Plectitur pœnis rabies cruoris,
Nec mori per vim trepidat potentum
Debile vulgus.
Dextera quiſquis male quæſtuoſi
Enſis auratum capulum tenebat,
Claſsium remis melior tenendis
Sauciat æquor.
Inuicem tortum metuit flagellum
Typhis, & ſæuos miſer horret ictus
Aſperè nudata ſecante nauis
Terga magiſtro.
Premite ignauos pauidi lacertos,
Poſcit aſſuetas maris vnda vires:
Illa nunc veſtra iuuenes proterui
Dignior Ira.

## ODE VIII.

## AD MARTEM.

GRadiue numen Biſtonidum potens
Segnes tumultu raucisona tuba
Armare mortales, & vrbes
Sanguineis agitare pugnis;
Te contremiſcunt ruricolæ, & tuum
Horrent amatis collibus impetum;
Te bella miſcentem pauentes
Pignoribus metuere matres.
Dilecta rumpis connubia, & domos
Abominatis funeribus quatis,
Natoſq; plorantes fideli
Præſidio ſpolias parentum.
Cur heu beatas Italiæ plagas
Tumultuoſo turbine concutis?
Hic arma miteſcant, in vſum
Agricolum gladios refingat.
Cur ecce curru ſe glomerant tuo
Iræ rubentes, exanimes metus,
Pacemq; mentitæ doloſis
Enſibus inſidiæ ſequuntur?
Proſciſſa te diſcordia veſtibus,
Te mors conuentis inſequitur genis;
Te ſanguis oblectat, vel ignis
Vrbibus è miſeris petitus.
Comunt furores caſsidis aureæ
Criſtas rubentes, & pauor armiger;

Bellona

*Bellona depellit iugales*
*Cuſpide belli gera fatigans.*
*Celſis mouentem bella ſubalpibus*
*Heroa ſerues denſa per agmina,*
*Dum ſtringit enſem, & contumaci*
*Excidium minitatur hoſti,*
*Sternatur hoſtis fænore ſanguinis*
*Maiore non ante domabilis,*
*Diſcat fatigatus potentes*
*Ante pedes poſuiſſe collum.*
*Cur non quieſcit ſanior Allobrox?*
*In noſtra ferrum viſcera vertimus,*
*Longisq; diſcordes ab annis*
*Vulneribus cadimus pudendis.*
*Fumat ſuorum ſanguine Belgium,*
*Fumatq; noſtro: ò vtinam breui*
*In damna Turcarum minaces*
*Chriſtiadum rapias catervas.*

# IN OBITVM FRATRIS

## ODE IX.

Lucium fratrem ferreæ fiſtulæ glande per ſummam proditionem traiectum ab hoſtibus conqueritur.

NON laurus caput ambiet,
Non vittatus honos. taxea liuidis
Duret ſylua comis diu
Tantum funeris mixta cupreſſibus,
Amens ſcindo chelyn manu;
Illaudata iuuat fundere carmina.
Latrans corde ſub intimo
Aeternum ſedeat, nec dolor excidat.
Non audita feris lyra
Inſanos gemitus mulceat, impotens
Singultus quatit ilia.
Luctus ora ligat, nec patitur nouis
Diuino Aeacidę parem
Hiſpanum numeris tollere Principem:
Nec ſalſo Venetos mari
Fretos Auſtriacum finibus inuijs
Arma inferre nocentia.
Heu fraterna fleo fata; quis audeat
Leges dicere fletibus?
Aut fines auidis vſque doloribus?
Ripas prætereuntia
Non ſiſtes poſitis flumina molibus:



Digitized by Google

## AD MVTIVM SFORTIAM Carauagij Marchionem.

### ODE X.

Se tenuis ingenij conſcientia impediri, quo minus Heroes verſibus interat, verum laudes rerum ſiluestrium conſectari auctor memorat.

*O Spes Inſubriæ, progenies Ducum,*
*Cignæq; tumulum diffugies ope,*
*Nos vllus ſileat, Mantoides tua*
*Chartis facta perennibus?*
*Nos hæc indociles biſcere, & ictibus*
*Turnum fulmineæ ſternere cuſpidis,*
*Nec fraternæ odijs prælia mutuis,*
*Nec diri Annibalis minas*
*Audemus. pelagi nos memores iuuat*
*Vitare Icarijs, aſtra volatibus,*
*At vicina leui vix bene palmula*
*Cauti littora radimus.*
*Quis nunc abrepere Graiugenis patrem*
*Aeneam faciet, quis duce Virgine*
*Intrare impauidis Tartara greſſibus*
*Flectentem ſtygium ſenem?*
*Nos Tempe canimus frigida, nos lacus*
*Viuos, nos patula ſæpe ſub arbore*
*Nympharum choreas ducimus, & diem*
*Vita fallere neſcia,*

Reconciliatos Federici Borromæi Cardinalis, & Velaſchi animos ſub Neſei perſona gratulatur.

## ODE XI.

CVM Princeps patrio littore ſolueret
Velaſcus populos vectus ad Inſubres,
Tritoneſq; citi, & ſpumiferi greges,
Et cete ſcopulis pares
Circumiere ratem; Nereidas ſequi
Exſtantes humeris non puduit Deas.
Vates texta tenens pinea dextera
Faſſus talia Protheus:
O gratum geminis Heſperijs caput
Ticinum remeas alite dextero.
Iam Mauors properat claudere ferreis
Bellorum oſtia vectibus.
Excuſſo fugiens vomere villicus
Ad campos redeat depoſito metu,
Dimittent gremio dulcia pignora
Matres preſſa ſub vbere.
Terris ſecla prius ferrea deſinent,
Siluæ mella ferent, profluet alueus
Amnis lacte nouo, ſponte per ilices
Merces Aſſiriæ fluent.
Iam dextræ properat iungere dexteram,
Te toto accipiet Præſul amabilis
Amplectens gremio, nec bene mutuam
Soluet longa dies fidem.

Non

Digitized by Google

*Non ſi Thiſiphone diſſociare amans*
*Fratres, anguineis horrida crinibus*
*Aulas in geminas coniÿciat faces,*
*Totis ſibilet anguibus:*
*Non regnis ſociÿs Inuidia furor,*
*Non diſcordia, non ambitus anxius*
*Primo ſtare loco pectora Principum*
*Vnquam diſſociauerit.*
*Iam venturus amor diſſidium tulit*
*Sic manſura fides Thydea iunxerat*
*Thebano iuueni, fœdere nobiles*
*Aeterno coeant manus.*
*Iam fidum Aeaciden, iam Patroclum vetus*
*Facto diſſimulet fama ſilentio,*
*Fidum Pyrithoo Theſea negligat,*
*Et magnam Pilade fidem.*
*Vos Vos vnanimes limite proximo*
*Iunctos ſideribus Iuppiter inſeret,*
*Concordi accubitu nectare veſci et*
*Et Diuum dapibus volet.*

## AD BRIPPIVM.

### O D E XII.

BRippi quid memoriæ ſpes Heliconij
Vis arctare pedes compede liberos.
Criniq. promittis coruſcum
Ipſe tuo diadema Phœbi?
Ignotum faciet Cinthius Hoſpitem
Indignatus aget præcipitem iugis,
Et veſte pullata obſoletum
Pierides fugient alumnum.
Parnaſſum attonita culmine terreant
Vultus horribiles. quis neget Albium
Celſas reuelli poſſe ſedes,
Inq. ſuum caput ire riuos?
Cultor nobilium cum puer artium
Experrecta iacis ora facillimis
Squallore contriſtes, & atro
Cæſariem nitidam cucullo.

# IN RERVM AVCTOREM DEVM.

## ODE XIII.

R Erum parentem numine proſpera
Læuum intonantem nouimus æthera,
Qui cuncta terrarum tegentem
Terga ſuper clamydem ferebat.
Regnator orbis concutiens metu
Reges minores pectus vt impulit
Miranda maieſtas? vt auxit
Luce meam meliore mentem?
Terras iacentes, aeris ambitum,
Turba ſecatum ſquammigera fretum,
Sedesq. gemmatas Olympi
Attonitus modulabor Oeſtro.
O qua poteſtas mœnia protinus
Fundauit orbis prima tenerrimi,
Terramq. ſecernens ab vndis
Ponderibus mediam librauit?
O qua poteſtas protinus ætheris
Suſpendit ignes orbibus aureos,
Lunamq. ſtellarumq. flammas
Protulit è tenebris in auras?
Tu nos reponis deterius genus
In deſtinatis ante ſedilibus,
Summisq. deturbas ab aſtris
Belligerum metuendus agmen.
Tu ſigna ſonti cum Duce lurido
Inuoluis Orco, pro radijs imbre

Innare Cocytum, & malignas
 Imperiis habitare flammas.
Te ſol, & ignes ſiderei tremunt,
Te Rex Auerni, & Tartarus impotens,
Diuos, & humanas cateruas
 Imperio moderantis vnus.
Non digna premam numine, ſi ferar
Dircaeus ales regna per ardua:
Quid Muſa conaris referre
 Grandia? quo raperis volatu?
Deſcende caelo, nec ſuperos tua
Inuade pluma, ſed potius plagas
Metire terreſtres, & imam
 Rade viam propiore caſu.

Naturam paucis eſſe contentam, nec Reges vacare curis, quamuis cuſtodum cateruis ſtipentur.

ODE XIV.

NEC vota mendax deſtituat seges,
 Ne meme inemptis diuitiis iubens
Defraudet autumnus, nec vuas
 Collibus inuideat Lyaeus.
Alter remotum terminet Adriam
Fundis coemptis, nauta premat ratem
Praedam daturae merce demens
 Nil pelago miser aptis hoſpes
Non illita auro nec laquearia

*Non me columnæ marmoreæ tenent*
*Inuiſa ſpumantes falerno*
*Tempora per calices trahentem.*
*Non ſumptuoſis molibus atria*
*Æquata cælo triſtitiam fugant.*
*Aulæa non arcent [illegible]*
*Strata ſuper pretioſa curas.*
*Quin ante Reges excubias agunt*
*Sæui timores, nec ſtationibus*
*Deterret armatis tyrannus*
*Letiferos recubare morbos.*

Briantæi Montis ſalutatio poſt Italicam peregrinationem concepta.

## AD GVIDVM CAVLCANTIVM.

### ODE XV.

*Guide doctarum columen ſororum,*
*Pars meæ felix animæ, ſaluto*
*Inſubrum campos, patriæq; figo*
*Oſcula terræ.*
*Collis à primis mihi notus annis*
*Me graui curuum uidens ſenecta,*
*Nec viæ laſſus Tyberina poſt hac*
*Flumina viſam.*
*Hic dies primos reuolutus hauſi*
*Dulces in ortus, puer innataui*
*Amnibus, luſi per opaca montis*
*Culmina reptans.*

Ergo

*Ergo me colles, & aprica vatem*
*Saxa delectant, vbi vina bimo*
*Cretico certant, vbi nos inempti*
*Paſcimur herbis.*
*Mons vbi ſeuas furias iniqui*
*Syrij frangit, hiemesq. mulcet,*
*Annuos flores vbi verus orto*
*Induit arbos.*
*Hic tui vatis cineres, & oſſa*
*Guide componas facili ſepulchro,*
*Hic meum nomen properes fideli*
*Sclapere cœlo.*

## ODE XVI.

Felicitatem in vitæ tenuitate, & animi magnitudine conſiſtere, non in opulentia ſignificat.

*ME iuuet vatem fragili phaſello*
*Proximum circa volitare littus,*
*Antequam lenes zephyri recedant*
*Suppara cogam.*
*Tutior viuit tenui ſub antro*
*Villicus, quamuis iacet obſoletus*
*Parua contingant, nihil vltra Felix*
*Amplius oro.*
*Ille laudato ſenio ſuperbos*
*Paſtor æquabat ſtudijs tyrannos*
*Diuites multo rabies habendi*
*Sanior vixit.*



Digitized by Google

*Ah quid inſanos amor urget auri?*
*Cuncta decurſu rapit incitato*
*Solis obliquus labor, & fatiſcit*
*Machina terræ.*

## AD HIERONYMVM Centurionem.

### ODE XVIII.

*QVA Mars rebelles deſuper intonat,*
*Ruptis catenis qua furor impius*
*Bacchatur, accenditq; pugnas*
*Ore fremens rabies cruento.*
*Fontanus Heros impauidus mori*
*Inſanientes contudit impetus,*
*Denſaſq; Gallorum procellas*
*Diſpulit horribili duello.*
*Victorq. Iberi non patiens iugi*
*Ferro domauit vindice Belgium,*
*Hoſtemq. laſſatum coegit*
*Sub pedibus poſuiſſe collum.*
*Tu bella vates Centurio canis*
*Quæcunque geſſit fulminea manu,*
*Et nomen æternare magna*
*Principis Heſperiæ laboras.*
*Nos Muſa iuſſit tollere laudibus*
*Heroa ſacro murice nobilem,*
*Famamq. virtutum veremur*
*Ingenij temerare culpa.*
*Non ante felix Sparta, nec Inclyta*
*Talem tulerunt mœnia Palladis,*

Non

Non docta Cyrene, nec altis
Porticibus ſpatiata virtus
Non ille gazas, non tenebris opes
Damnauit, auro ſed miſeros beat,
Et dextra lætatur metalli
Dona domans pretioſa fului.

## AD FRANCISCVM Matthæum Tabernam.

### ODE XVIII.

EHeu Martis amor mihi
Te Franciſce noce parte maxima rapit
Ah ſaltem incolumem ſeruet
Hic, cui fidis equus diſcolor aduehat,
Telis inuiolabilem
Gallorum medios per cuneos ferat.
Ah parcat lateri tuo
Glans extruſa cauis ferrea fiſtulis.
Qui mortalibus extudit
Tormentum ignivomi fulminis æmulum,
Eliſit patris impio
Ceruicem laqueo ferreus inditam.
Quas ſtrages hominum dedit?
Quæ non funereis obruta cladibus
Tormenti genus improbum
Execrata domus? quis precor angulus
Non teli ſcelera ingemit?
Quod non magnanimum machina plumbeis

*Traiecit latus ictibus?*
*Horrendis quatitur terra fragoribus;*
*Nutant culmina montium;*
*Stat cæli facies ſulphureo ſitu,*
*Manes tartarei tremunt,*
*Mugire ethereos & tonitrus putant;*
*Vix hauſtis micat ignibus,*
*Cum diſcerpta iacent corpora militum;*
*Saturno melius. Deo*
*Viuebant gladios ſtringere neſcij*
*Non incudibus æreos*
*Fingebat globulos ſacrilegus faber,*
*Non æs euomuit cauum*
*Plumbatam pluuiam, ferreã nemineus*
*Tempeſtas male perdidit.*
*Non inflare tubas, non furor otia*
*Raucis pellere claſſicis.*
*Fallebat bifori tempora fiſtula*
*Cuſtos inter oues iacens.*
*Tunc felix niueos viuis traherem dies,*
*Nec noßem lacrimabiles*
*Armorum furias, nec trepidus metu*
*Haurirem ſtreperas faces,*
*Stridenteſq. noua turbine machinas.*

## IN LAVDEM HEROINAE Velaſchiæ.

### ODE XIX.

*HEroina tua ſidus Iberiæ,*
*Naſcenti Veneris ſidere pulchrior,*
*Hiberna ſpecies candidior niue,*
*Pubentiſq; roſæ flore rubentior*
*Quænam digna tuis moribus eloquar?*
*Quænam digna loquar frontis honoribus?*
*Te mutet propria Perſephone Ceres.*
*Te mutet propria Thetide Peleus.*
*Cinthuſq; erubuit cedere Deliam,*
*Arces Munichia cedere Palladem.*
*Tu quum quadriugis deueheris rotis,*
*Tum purum radijs ingeminas diem.*
*Qua fers cumq. pedem, ſigna pedum roſæ*
*Condunt purpureæ, floribus orbitam*
*Certant veris opes ſternere mollibus.*
*Sic es cæruleis ſurgere fluctibus,*
*Sic es digna vehi per liquidas domos*
*Iunctis Idaliæ matris oloribus.*
*Quid ſi flammiferas aggrederis plagas?*
*Cælo lapſa Venus inuidia cadet,*
*Linquet Iuno minor ſydereas fores.*
*Siſtet te ſolio Iuppiter aureo.*

# AD ANTONIVM OLGIATVM

## ODE XX.

Curandam eſſe corporis humani ſalutem, & ſeuerioribus ſtudijs pauſam dandam eſſe cenſet.

*F*Aetum pruinis tollit hyems caput,
*Campi niuoſis ponderibus gemunt,*
*Curſuſq. ſuſtentant rotarum*
*Horribili glacie ligati*
*Amnes. vetuſtis tu tamen aſsides*
*Amice chartis, nec pateris diu*
*Poſtes Athenæi patentes*
*Cardinibus requieſſe laſsis.*
*Rex ille fandi Tullius, ah dolor,*
*Collum ſecandum tradidit hoſtibus,*
*Ceruix cruentauitq. tabo*
*Roſtra ſuis decorata dictis.*
*Tempus ſepulcrum Neſtoris erutum*
*Iniurioſis motibus abſtulit;*
*Miſcentur indocti coloni*
*Oſsibus oſſa boni Platonis.*
*Quod reſtat æui duc Mareotico*
*Plenoſq. mecum ter cyathos petes*
*Multa aggerantur ligna, multo*
*Frigus iners foculi igne ſoluat;*

AD

## AD ANTONIVM GYGEVM.

### ODE XXI.

IAmdudum facies cærulei maris
Ventorum placido fœdere ſternitur.
Euri flabra ſilent, & niue turgidus
Omnis detumuit lacus.
Iam Reges acies melliferas apum
Ducunt, iam varijs floribus inſtrepit
Pubes diuitias veris amabiles
Stipatura fauos metit.
Gaudet Dædaleo fingere nobiles
Certatim ore ſonos alituum cohors.
Puros nacta dies ingenioſior,
Et Nymphæ choreas agunt.
Nobis triſtitiam diſſipet euius,
Rugoſam faciem exporrigat Euius.
Tu mecum recuba, ſicubi procubat
Quercus vmbra, vel ilicis.
Curas aereis ſcindere nubibus
Donabo, & rapidis mœſtitiam notbis
Portandam pelago, dum veteri cadoſ
Vndantes vacuem mero.
Fundis è patrijs, atq. penatibus
Ad dulces nemoris Eliſij plagas
Extrudar: cumulos ilicet aureos
Diſcintus rapiet nepos.

## AD

# IOSEPHVM RIPAMONTIVM.

PEne te, Ripamonti amiciſſime, præterieram, niſi in manus hoc quicquid eſt, carminum veniſſet, quæ ſi nomini tuo non conſecrarē, & Camœnæ, & veteri noſtræ neceſſitudini non leuem iniuriā facerem. Illam enim quaſi orbam virgunculam tutore fidiſſimo, hanc ciuium omnium ſermone celebratam debito apud poſteros teſtimonio fraudarem. Ac vt alteram miſſam faciam, ecquid diuturna noſtra coniunctione ſanctius? Ita a pueris vna coaluimus, vt ex eodē vtero in lucem editi, ijſdem crepundijs inuoluti, eodem lacte nutriti videamur. Vtrumq. certè recens ortū excepit benignißima illa cęli mollities, molliſſima natalis ſoli amænitas, amæniſſima Briantæi collis vbertas. Eaſdē delicias, quas plena manu in patriam noſtrā natura congeſſit, vna guſtauimus. Quotiés vna in prærupta rupium ludibundi euaſimus, deſcendimus in depreſſa conuallium, ramos arborum à terra attingere contendimus, nemorum opacitatem conſectati, ſocijs auribus riuulorum murmur aucupati ſumus? Certè, dum eum ſeceſſum repeto, angulos

 obſeruo

obſeruo omnes, ac ſumma cũ voluptate relego, vbi ſolebamus conuenire, ociolum noſtrum oblectare, curſare, ſeſſitare, pernoctare, apricari, eodemq. Sole colorari. In hunc modum ætatula nos illa tenerrima conglutinauit. Ætas deinde robuſtior vim amoris roborauit. Vrbaniorem familiaritatem in vrbe contraximus, in qua & illud diuinitus factum eſt, vt communi felicitate Federici Borromæi Cardinalis obſequio addicceremur, vna herilẽ illã purpurã deoſculari, vna crebro acciri, pari gratia florere, paribus affici beneficijs, in idem Collegiũ cooptari contingeret. Neq. nos aula ſolito afflauit inuidiæ veneno, ſed potius veterem neceſſitudinem auxit, tantũq. acceſſit ad amorem, vt ante nos dilexiſſe, nunc amare videamur. Ac ſi pedem in aula ponis, me adeſſe iurant aulici, ac vbi ſodalis? quidam, en par amicorum, alij, cum illis quatuor priſci æui paribus numerandum. Quin frequenti errore alter pro altero ſalutatur, & vter noſtrũ ſit Sociacus, vter ſit Ripamontius ignoratur. Intelligis, arbitror, hęc tam altè ducta narratio quò ſpectet. eò ſcilicet, vt haſce nugas, quæ prima adoleſcentia mihi exciderunt, acerrimè defendas, quando nullum habes ob ſtili maieſtatem ſcribẽdi fama ſuperiorem, nullum me amicitiæ vetuſtate coniunctiorem.

Digitized by Google

# ODARVM
## LIBER SECVNDVS.
## AD FEDERICVM BORROMAEVM CARDINALEM

Bibliothecam Ambroſianam opus regiũ à Federico extructum memorat, tanquam ſcientiarum Aſylum, eoq; nomine Borromæi nominis memoriam in hominum pectoribus ſemper futuram.

### ODE I.

*VT te rubentem murice Principem*
*Tantæ beatus frontis honoribus*
*Rerum potentem ſacrarum*
*Succiduis genubus ſaluto?*
*Iam tecta ciues frondibus annuis*
*Vmbrare iuuit, iam puerùm manus*
*Curſauit Inſubrum per Vrbem*
*Miſſilibus onerata donis.*
*Hos alme Princeps optima munerum*
*Donabo verſus, delicias ducum:*
*Hanc vena fundit vim bonorum*
*Æris inops, opulenta verbis.*
*Non ſigna ſecto Phidiacus labor*
*Deſudat auro, non docilis manus*
*Nobis colores elaborat,*
*Aut tabulas animat figuris.*



Digitized by Google

Ne ſcripta vatis Mæonij tenent,
Et Flaccus aureis frontibus illitus
Solatur, expertusq. Iephtes
Aſsiduos calami labores.
Sed ante molem qua patriam beat
Cantu ſileri non patiar meo,
Sumptus Athænai ſuperbos
Sollicito meditabor vngui.
Stet Vaticana mole perennius,
Contemnet omnes ætheris impetus,
Nom imbre decreſcet maligno,
Non Boreæ furijs fatiſcet.
Aeternet omnis hæc diuturnitas
Commiſſa chartis facta fidelibus,
Obliuioſi non iniquum
Ludibrium patientur æui.
Ne ſumptuoſa mole ſuperbiant
Stipata libris atria Cæſarum,
Nec iactet exceptas vetuſtis
Pollio porticibus Camœnas.
Reges vetuſtas templa minoribus
Sacraſſe muris Attalicos canit,
Longèq. Borromæa moles
Pergameos ſuperat Tyrannos.
Victis Athænis Pallada prouocant,
Certant lycæis Pieridum ſacra
Subſtructiones, inq. cælum
Culminibus minitantur altis.
Cælo excitatam proſpiciunt domum
Alpes ſtupentes attonitis iugis,
Doctaq. ſic effata pubes

Inuidet

Digitized by Google

*Inuidet Inſubriæ triumphos.*
*Stirps, quæ ducta bono ſemine Romuli*
*Olim paternos deſeruit lares,*
*Fauſteq. mutauit potenti*
*Inſubria Tyberim ſuperbum:*
*Nam qualis, ilex vertice nobili*
*Frondoſa latè brachia porrigit,*
*Vmbræq. defeßis amicum*
*Hoſpitium populis miniſtrat:*
*Talis propinquos protegit Inſubres,*
*Teſtis Ticinus, teſtis & Abdua,*
*Qui defatigatur beatam*
*Ire vado trepidante ad Vrbem.*
*Erexit aras innumerabiles,*
*Cultus & aris reſtituit ſuos*
*Auriq. contemptrix reponit*
*Tecta ſuis recidiua Muſis.*
*Surget latinum nomen, & ingeni*
*Artes reſurgent, Italus Italas*
*Res firmat afflictas ſecundis*
*Sideribus Federicus ortus.*
*Hunc æſtuoſæ littus Iberiæ,*
*Hunc, & niuoſi Sithonis audiet*
*Extrema tellus, quiq. Sirtes*
*Pontus habet minus hoſpitales.*



Digitized by Google

## AD EVNDEM.

### Vt tandem in Vrbem redeat.

### ODE II.

CVſtos anguigeri gregis,
Regnator patriæ, gentis apex tuæ
Cunctantem reuoca pedem,
Et deſiderium ciuibus alleua.
Infeſtas nebulas tuo
Amanda reditu, dum procul auehis
Vultus, eripitur dies,
Occæcant tenebræ purpureum iubar,
Et cælum ex oculis mouent.
Vt nauis Helicen, nox vbi turbido
Intempeſta mari tacet,
Nimboſumq. tenet luna ſilentium
Extincta face ſiderum,
Velis, remigijs ſupplicibus vocat,
Et nutat pelago ſibi
Formidans ſcopulum incurrere perfidum.
Te ciues pariter tui
Suſpirant oculis, & viduos tuo
Vultu dinumerant dies.
Debetur tibi quod fræna proteruitas
Nodis horrida ferreis
Inconcuſſa tenet, quod ſacra limina
Concurſu populi tepent,
Nullis polluitur relligio notis

Cultu

Digitized by Google

*Cultu decolor impio;*
*Sed morum faciem ſuſcitat auream.*
*Culpatum ſcelus exulat,*
*Infectum lacrymis eluitur nefas.*
*Mores erigis, erigis*
*Fundatos Carolo ſidereus nepos,*
*Par cælo caput inſeris,*
*Tantum defuerit nomen auunculi.*
*Qualis matris ab eruto*
*Cum ſe progenies ſtirpe retruſerit,*
*Radices agit altius,*
*Attollit caput à robore nobili*
*Ingentes animos trahens:*
*Mox æquo erigitur vertice, & arborem*
*Montes aeriam tremunt,*
*Et ramis humilis ſilua minoribus.*
*Talis continues bonam*
*Annorum ſeriem dicimus, ignea*
*Cum lucem reuehit iugo*
*Cum ſol feſſus equis Oceano ruit.*



Digitized by Google

## EIVSDEM

Cardinalis munificentiam in reſtaurand templis, & bonis artibus à barbarie vindicandis commendat.

## ODE III.

EN vellit aurem Mnemoſine mihi
Segnemq. toruo lumine reſpicit,
Te cum meis vulgare cartis,
Totq. tuos trepido labores.
Muris eriguntur templa labantibus,
Aræq. fumant thuris honoribus,
Et virus arces, quæ propinquæ
Alpibus inficiuntur oræ.
Mores auitis mœnibus aureos,
Rituſq. ſacris ordinibus tua
Innexit ætas, ut merentem
Aſtra ſuper Carolum locauit.
Cuius remotis numen amabile
Crebreſcit aris, famaq. viuidum
Porrecta virtutum relictis
Nauigat Heſperijs ad Indos.
Dum rerum habenas flexeris Inſubrum,
Impunè nuſquam culpa vagabitur,
Non dira peſtis, quæ nocentes
Herciniæ maculauit vrbes.
Luctetur hoſtis, ſceptraq. Romuli
Patris fatiget, ſcilicet inclytam

Tuta

*Turbabit incaſſum tiaram,*
*Vanus, & excidium parabit.*
*Namq. Impiorum ſęua frementium*
*Franges ſecundis auſpicijs minas,*
*Sancto Sacerdotum Senatu*
*Imperij decus arrogabis.*
*Nos te profeſsis ſolibus, & ſacris*
*Læti canemus, nec tua neſcient*
*Interminatæ facta terræ,*
*Quicquid & Oceanus coercet.*

## AD AVGVSTINVM TERZAGVM.

Terzaghi familiaritatem teſtatam apud poſteros relinquit, quando in ſtudiorum curſu coniunctiorem habuit neminem.

### ODE IV.

*OCcurris quoties primę ſodalium,*
*Gaudes nos auidis cingere brachijs,*
*Nosq. amplexus inhęres*
*Dorſo plurimus arduo.*
*Sic quercum manibus vitis amantibus*
*Nacta amplectitur, & multuago ligat*
*Lapſu cara mariti*
*Ramos brachia frondeos.*
*O nec ſumma vtinam diuideret dies*
*Confundens ſocijs funera manibus.*
*Indiſcreta cubarent*
*Fatis oſſa facil limis.*

Iuue-

Digitized by Google

Iuuenem corporis bona iactantem admonet, ne adoleſcentiæ florem diutiſſimè manſerum eſſe confidat.

## O D E V.

*QVid bimo ſimilis hinnuleo puer*
*Vibratam tereti cæſariem manu*
*Celſos ſpargis in armos?*
*Ecquid plus nimio placet*
*Vernans oris honos? heu nimium breui*
*Mutatasq. genas flebis, & irritos*
*Suſpirabis honores:*
*Nil ætate fugacius.*
*Quas nunc barbaricis vngis odoribus,*
*Depaſcet macies horribilis comas:*
*Exuret leuis æſtus*
*Ceruicis miſeræ niues.*
*Nunquam mors animum depopulabitur*
*Florentem proprijs caelicolum bonis.*
*Deformant bona formæ,*
*Vultus ſunt inopes opes.*

## AD FRANCISCVM Bernardinum Ferrarium.

Conſolatur Collegam ſuum ob Antonij Sormani cædem crudeliſsimam mærore contabeſcentem.

### ODE VI.

*Errari nimijs quem lacrimis cies,*
*Stellas attonitis ſub pedibus videt,*
*Et liber fragili carcere corporis*
*Cæli regna perambulat.*
*Hic menſis ſuperum lętior accubat,*
*Et vultu Ambroſiam purpureo bibit.*
*Tu clari capitis gaudia lugubri*
*Contriſtas querimonia.*
*Quis complet varijs littora queſtubus,*
*Si diſcerpta Notis lintea colligit,*
*Iactatiſq; mari nauita puppibus*
*Portum gnauiter occupat?*
*Aſt orba Aeacides tygride ſęuior*
*Incendit nimijs ſidera luctibus,*
*Et forti ſecuit cęſariem manu*
*Extinctum Patroclum ſuper.*
*His commota malis proſiluit parens*
*Thetis cęruleis Oceani vadis,*
*Et flere immodicam vocibus irritis*
*Nequicquam ſobolem arguit.*
*Si te perſimili tangit imagine*

Fer-

Digitized by Google

*Ferrari pietas, non ego debitos*
*Compeſcam gemitus, nec ſatis inclytus*
*Sormanus lacrymabitur.*
*Crudeli infelix vulnere concidit,*
*Ceu quercus borea victa furoribus,*
*Aut percuſſa Iouis fulmine deſerit*
*Montes, & Dryadum choros.*

## IN OBITVM THEODORI Triuultij.

### ODE VII.

*DEcede latis Phœbe receſsibus*
*Prudens tyrannus Aoniæ lyræ,*
*Belgæq; victorem querelis*
*Proſequere impoſitum pheretro.*
*Nunc cornu aduuco tibia mugiat,*
*Dent ſigna luctus æriſonæ tubæ,*
*Paſsimq; Martem illiſa telis*
*Tela gemant Italum cadentem.*
*Non febris uſsit pectus ahæneum,*
*Non ſanguinem hauſit lancea nobilem.*
*Sed flumen implentem Sicambrum*
*Cædibus, & galeas rotantem*
*Muralis, eheu, machina proditum*
*Proſtrauit ictu fulmineo Ducem,*
*Immane vaſtatura clauſtrum,*
*Et validam ruitura turrim.*
*Totum cruentis corpus hiatibus*
*Immanè liuet, vix laceros parens*

*Inue-*

Digitized by Google

*Inuenit artus, aſtra damnans*
*Nuda ſinu legit oſſa coniux.*
*Miſcentur ambarum, & lacrymæ, & comæ,*
*Alterna plagis oſcula diuidunt,*
*Diſcerpta partitæ fideles*
*Membra locis iterum reponunt.*
*Concorde fletu grandia vulnera*
*Ambæ gemiſcunt, & violant genas*
*Non ſic merentes, illa natum,*
*Hæc vocat exanimem maritum.*
*Teſtes dolorum coniugis inclytæ*
*Nati ſuperſunt, poſt cinerem fides*
*Durauit, æternumq; triſti*
*Aſsidet illacrimans ſepulcro.*
*Heros ab alto negligit inſcius*
*Lugere luctus, èq; vlulatibus*
*Vultum retorquet nil dolendo*
*Membra modis laniata diris.*
*Quin è triumphis ille recentibus*
*Cælo potitos diuumerans auos*
*Non erubeſcendis ſuperbit*
*Vulneribus, memoratq; pugnas.*

IN

## IN M. ANT. ARESII OBITVM.

Formam nil prohibere, quo minus morte opprimamur.

### ODE VIII.

*VT contumacis te quoq. ſurpuit*
*Ignara flecti dextra Proſerpinæ*
*Areſi? inexorato virentem*
*Inſubriæ ſcidit vngue florem.*
*Vt in tenellis ſæuijt artubus*
*Immanè febris? luridus vt color*
*Irrepſit? & libanda Nymphis*
*Irruit vt macies in ora?*
*Heu colla tabo lactea diffluunt,*
*Frontiſq. lux euanuit aurea,*
*Et vox loquentis, cui triſulco*
*Ore minas poſuiſſet anguis.*
*Muti penates mæsta ſilentia*
*Lugent, heriles & pueri ſales*
*Mæsti requirunt, & liquatis*
*Verba fauis propiora plangunt.*
*Eheu decoras marmor habet comas,*
*Vultuſq. honores, & bona corporis*
*Ceſſura pulchro non Adoni,*
*Idalięue Deę cateruis.*
*Quid maior æuo pubere profuit*
*Pręcoxq; virtus, quid vigor Ingeni*

Mutuò.

*Maturior? quid nunc venuſtas,*
*Forma quid inuidioſa cultus?*
*Heu cuncta in vmbram diſpulit Atropos*
*Putremq. limum. pauperibus potens*
*Æquare Reges, & virentem*
*Popl itibus, ſenioq; fractum.*

## AD IOSEPHVM RIPAMONTIVM.

### ODE IX.

*TE te diſertis nobilium penes*
*Mandare cartis nomina Præſulum,*
*Viuoſq; deterres, & omnes*
*Hiſtoriæ artifices futuros.*
*Non terminabis finibus Italis*
*Victura latè docta volumina,*
*Non clauſtra famam peruagantem*
*Oceani ſpatioſa claudent.*
*Neſcire vultus impatiens tuos*
*Notas Britannus curret ad Inſubrum*
*Feſtinus vrbes, belluoſum*
*Qui tenui ſecat æquor alno.*
*Te bellicoſus noſcere Cantaber*
*Ardebit vltro, te Lybies nepos*
*Tortè ren odatus capillum,*
*Et facilis properare mortem.*
*Teq; in remoto littore Boſphori*
*Diſcet natator, te maris Indici*
*Scrutator ater, quiq; celat*
*Caute patrum monumenta Danus.*

Ibis

*Ibis ſuperſtes ora per omnia,*
*Dicere quondam maior origine*
*Exortus humana, nec vllus*
*Te poterit tetigiſſe liuor.*

## AD IO. BAPTISTAM STROZZAM.

### ODE X.

Scripta, cum auctor in morbum nondum incidiſſet.

*TYrrena magnæ progenies domus,*
*Vinci dolentis gloria Apollinis,*
*Per regna Muſarum, per altum*
*Aſſiduus Helicona vadis*
*Phœbi ſacerdos: deſine dulcium*
*Tandem laborum, iam caput albicat,*
*Dorſumq. curuauit ſenectus*
*Pieriȷs onerata curis.*
*Nobis iuuentas, ſanguis & integer*
*Pulſat medullas, plenaq. roboris*
*Stat fortis ætas, & toroſis*
*Brachia luxuriant lacertis.*
*Te luctuoſis littoribus moras*
*Humi trahentem ſollicitant plagę*
*Stellis nitentes, & nepotem*
*Impatiens ataum repoſcit*
*Serum cupido. iam tibi cęlites*
*Aequis recedunt partibus ętheris,*
*Nunc aſtra dones, & canoros*
*Lętus agas Helicone Cycnos.*

Di-

Digitized by Google

*Dircæa qualem ſtagna Leonidem*
*Solis Horati preſſa volatibus.*
*Priſcos laceſſentem Pelaſgos.*
*Pindaricis aluere Muſis.*

## DE SACROSANTO ROMANI Pontificis regno.

### ODE XI.

Veritatem in Romana tantummodo Eccleſia ſedem ſibi collocaſſe.

*NVnc axe demum labere flammeo,*
*Spretiſq. veri diua potens ades*
*Inuiſa terris. quo volantem*
*Pręcipitas fugitiua greſſum?*
*Num te malignis cautibus Alpium,*
*Iniurioſa num Caledonia*
*Sequar recedentem, aut iniquis*
*Herciniæ ſiluæ latebris?*
*An luce caſſos Graiugenas tua,*
*Latèq. pingues Niliacis aquis*
*Terras, & obſeſſas iniqua*
*Nocte petam peregrinus oras?*
*Quacumq. fluctus Oceani ſtrepunt,*
*Heu cuncta fœdus nunc ſitus occupat,*
*Anguſta terrarum nocenti*
*Portio vix prohibetur vmbra.*
*Stant regna denſis obſita nubibus,*
*Occæcat vrbes tartareus furor*

*Vix vnus Europæ potentis*
*Angulus exiguus renidet.*
*Vix vna veri Roma tenax ſtetit*
*Præſtigiarum nubila diſsipans:*
*Hic ritè regnator ſacrorum*
*Legitimis operatur aris.*
*Hic templa vero reſtituit Deo,*
*Cælumq. placat thuris honoribus,*
*Ritus & auertit nefandos,*
*Quo variæ ſcelerantur aræ.*
*Mores auitos finibus Italis,*
*Ritusq; ſeruat, fræna licentiæ*
*Imponit, amandatq. culpas*
*Omne nephas domuiſſe certus.*
*Ergo ſecundis ſideribus potens*
*Romana ſedes creuit, & hoſtico*
*Euerſa Gottorum tumultu*
*Templa pios tenuere cultus.*
*Doctrina veri Romulidas habet,*
*Normamq. veri Romulidæ tenent.*
*Non hoſce mores barbarorum*
*Diluuies inimica vertit.*
*Inſurgat hoſtis, non violabiles*
*Aras anhelet vertere funditus,*
*Delere necquicquam ſacratam*
*Æneadum meditetur vrbem.*
*Namq. impiorum ſæua frementium*
*Frangentur iræ numine dextero.*
*In Vaticano Rex ſacrorum*
*Imperium tenet, & tenebit.*
*Pro Vaticano numina militant,*

Non

Non hoc furores Tartareos tremit,
Immanè tellus ſi dehiſcat,
Neſciet hęc trepidare ſedes.
Non vera Romę relligio cadet,
Non polluetur ſordibus impijs,
Non virus afflabit renatis
Hydra nocens Latio colubris.
Cocitus vmbras luridus impias
Eructet, ibit Roma ſuperbior,
Victiq. Cociti fugatis
Pulchrior eueniet tenebris.
Vires reſumit cladibus obruta,
Per damna creſcit; non gelidus Scyta,
Non Perſa, non infidus Afer
Sacra tibi Tiberine vertet.
Quà ſol, propinquis ignibus inficit
Indos dirempto littore diſsitos,
Quà pręliantes vnda turmas
Fert nimia glaciata bruma:
Quodcumq. mundi nunc patuit latus
Non ante Iberis puppibus agnitum,
Quodcumq. terrę belluoſum
Oceani patris vrget ęquor,
Accepit vrbis fędera Romulę,
Veriq. leges numinis obibit:
Romana maieſtas ab ortu
Diditur occiduas ad oras.
Regi ſacrorum diues Iberia,
Galluſq. nullo Marte domabilis
Succumbit, à tuto lo veri
Imperio dominata terris.

*Te Rhenus ingens indocilis iugi,*
*Te cede vinci Sarmata neſcius,*
*Et ſceptra mutantes Sicambri*
*Poplitibus trepidis adorant.*

## AD TIMOTHEVM BAROFIVM Carthuſiæ Ticinenſis Præfectum, dum ſacrum perageret.

### ODE XII.

Sacerdotij munus; & dignitatem, quam maximis poteſt laudibus effert.

*FVluos Olympi vertite cardines,*
*Et luce ſepti Cælicolæ choros*
*Denſate lapſi; qua ſuperbam*
*Turribus, Imperioq. Regum*
*Ticinus vrbem ſceptriferam lauat:*
*Venere, ni me fallit amabili*
*Errore ſenſus, ſe videntur*
*Marmoreo glomerare templo.*
*Flexo ſalutant crure Timotheum,*
*Qui tangit aras verſicoloribus*
*Gemmis onuſtas, & Sabæis*
*Vndiq. muneribus calentes.*
*Templum vaporat thure Timotheus*
*Diuis amico, verbaq. concipit*
*Arcana, rectoremq. cæli*
*Deuocat æthereis ab oris:*
*Mox non loquendo munere veſcitur*
*Ceruice prona, nectare veſcitur*



Digitized by Google

*Mirè verendo, dum recumbit*
*Legitimis operatus oris.*
*Vt vt potentis frugis honoribus*
*Mens roboratur, neſcia comprimi*
*Vis intus erumpit per ora,*
*Perq. oculos radij vibrantur.*
*Veſtrum Sacerdos poſſidet Aethera*
*Ciues Olympi, ſeu Cererem manu*
*Contrectat almam, ſeu beato*
*Nectareum bibit ore ſuccum.*
*Veſtris Sacerdos inſeritur plagis*
*Admiſſus æquis conditionibus,*
*Et molis oblitus caducæ*
*Odit humum fugiente greſſu.*
*Reges ſuperbi ne diadematis*
*Inſigne iactent, ne placeat ſibi*
*Quisquis triumphator corona*
*Laurigera caput implicauit.*
*Reges in ipſos Imperium tenet,*
*Cælum recludit, territat Inferos*
*Dum ſacra procurat Sacerdos,*
*Et ſuperis epulatur eſcis.*
*Fruſtra Britannus, heu male pertinax*
*Regnum refutat Romulei Patris,*
*Fruſtraq. diuinis nefandum*
*Excidium minitatur aris.*
*Necquidquam habenas Oceanus pater*
*Sacras retractat non patiens iugi,*
*Tibriq. Neptunus ſuperbum*
*Dedidicit poſuiſſe collum.*
*Nam fluctuantem numine proſpero*

Reſpexit Vrbem dexterior Deus,
Ruſuſq; naſcentes Mimantas
Iuppiter Auſonius domauit
Res ſacra quanto præſidio ſtetit
Cuſtode cælo? ſcimus vt antea
Submiſit Henricus Latino
Colla patri dominator orbis.
Terrore magno ſtrauerat Italos
Germanus olim parcere neſcius
Aris, recuſanteſq. gentes
Pontificis faciles habenas.
Sed quid valerent tela minacia,
Quid barbarorum ſacrilegæ manus,
Quid Cæſar inuiſaq. cælo
Militia, trepiduſq. diris
Contra ſacrati vim Capitolij?
Tunc enſe Paulus fulmineo ſtetit
Claueſq. ſacrorumq. Princeps
Iura ſenex metuenda torquens.
Romam fideles Cælicolæ tegunt,
His Vaticani creditur vnicè
Seruanda maieſtas, & iidem
Barbaricos prohibent furores.
Senſere gentes, quæ Rhodanum bibunt,
Rhenique potor numen, & impius
Britannus euerſor ſacrorum
Nobilis Imperij ruinus.
Euerſa telis regna cadunt ſuis,
Culpaq. torquent artifices ſuos,
Iniurioſis cum laceſſunt
Opprobrijs diadema Petri.

Senſit

*Senſit Lutherus tot ſcelerum caput*
*Abominatum, pœna nefarium*
*Defecit in Caluum, repoſcunt*
*Regna nouas vacuata flammas*
*Te Paule ſerum ſupplicium manet*
*Immugientem fluctibus Adriæ,*
*Optabis indictum maligna,*
*Quidquid hians bibit aure vulgus.*
*Si nunc quieſcunt tartara, deſuper*
*Deſcendet vltrix, & mare perſtrepet*
*Ignita tempeſtas, rebelle*
*In cineres pelagus reſidet.*

## AD IVLIVM CAESAREM Stellam.

### ODE XIII.

*NOn ſacra Pindi culmina, non ego*
*Cyrrhæ potentem ſollicitem Deum,*
*Plectrum nec auditum ſecutis*
*Arboribus, ſociaq. rupi.*
*In noſtra dum tu vota ſodalium*
*Princeps ſecundo carmine, veneris,*
*Dumq. intonantem te capaces*
*Pectoris accipiant receſſus.*
*Si non ſiniſtra mente refugeris,*
*Audax profundum Pindaricum melos*
*Canabor, & ſublimè cælum*
*Dædaleo feriam volatu.*
*Tibris canorum te vides alitem*



Digitized by Google

*Sublimè tractus ire per ætheris*
*Victos relinquentem Pelaſgos*
*Aſtra ſuper rapiente penna.*
*Te quippe nulla compede detinent*
*Curarum amores degeneres, neq.*
*Ignobilis vulgi tyrannus*
*Torquet amor maleſanus auri.*
*Hauris pudicis roribus Ionas*
*Fontes ſcatentes integer integros*
*Viſure Diuos, nos merenti*
*Pierias meditamur aras.*

## AD FEDERICVM BORROMAEVM Cardinalem.

### ODE XIV.

Pollicitus fuerat auctor tragædiam, ſed abſolui non poſſe monet, niſi rus ſe conferat.

*Promiſſum memori labetur pectore carmen,*
*Incumbet aut in ſpongiam:*
*Qua prius Auguſti fortuna euanuit Aiax,*
*Hæc ſortietur Iephtidem.*
*Tu tamen exſpectas ſummum Federice laborem,*
*Nouerca me neceſſitas*
*Deformem prohibet lambendo fingere fetum;*
*Suſpiro vates auia.*
*Sic ſe Cæſarea furatus Horatius aula*
*Ripas amabat Tiburis:*

Aſt

Digitized by Google

*Aſt imperfectam liquit Theſeida Codrus*
*Arctis laborans ſedibus.*
*Et niſi Virgilium tenuiſſet laxior ædes,*
*Haud Ilion laceſſeret.*
*Lætor ſorte mea, ſed degam inglorius æuum:*
*Amœna Tempe me vocant.*

## AD EVNDEM.

### ODE XV.

Cum perelègantes ab eo litteras accepiſſem, quibus de producenda vitæ breuitate, de carminum editione feſtinanda, deq. celebrandis Hetruſci poetæ verſibus ad ſe miſſis admonebat.

*CErtè ſagittis vita fugacior,*
*Torrentis vnda labitur ocyor,*
*Nec vis tyrannorum, nec arma*
*Præcipites remorantur annos.*
*Non ars ahænis horrida machinis,*
*Non ſumptuoſis molibus aggeres,*
*Non clauſtra portarum, nec acres*
*Excubiæ prohibere mortem*
*Nouere. Murorum exſuperat moras,*
*Foſſas & omnes, turribus abditos*
*Inuadit, exarmat fideles*
*In ſpeculis vigiles locatos.*
*Mens vna tantæ frenà licentiæ*

*Impo-*

Imponit, ictus effugit vnicè
Secura fati, mens in altum
Nititur impatiens ſepulcri.
Iniurioſo temporis impetu
Diuina lædi carmina neſciunt,
Et docta perfringunt ahænas
Ingenij monumenta leges.
Sed iam reliquit me vigor igneus,
Sanguis refrixit; laurigerum decus
Faſtidit olim aſſueta doctis
Noſtra fames inhiare baccis.
Tu vero centum nobilis artibus
Fecunda Princeps pectora concutis
Suprema fatorum ſcientes
Vincere deproperas labores.
Tu ſcripta blattas nil metuentia
Sed digna cedro peruigilas, quibus
Subtructiones Vaticanæ
Inuideant, vetereſq. moles.
Et iam tuorum fama voluminum
Diffuſa tractus ceßit in vltimos,
Qua ſole torretur propinquo,
Qua nimia niue mundus horret.
Felicem Hetruſci fluminis accolam,
Atq. inuidendi carminis alitem
Per cuncta terrarum valentem
Ferre tuum Federice nomen.
Sublimè vates raptus in aera
Cœtus prophanos ſpreuit, & improbi
Tot vota vulgi, te merentem
Sedibus inſeruit Deorum.

Me

Digitized by Google

*Me vero triſtis Pieris abnegat*
*Audere tantum, vos acie ſequar*
*Longè volantes, voſq. cæli*
*Indigetes venerabor ignes.*

## AD ALOYSIVM CAPPONIVM Cardinalem, Bononiæ Legatum.

### ODE XV.

*QVa conſpicatus armigeros Iouis*
*Troiam renaſci Troiugenus nepos*
*Non falſa Mauortis propago*
*Auſpicijs poſuit ſecundis*
*Diuum parentem. dirige me tuum*
*Multum inuidendi carminis alitem,*
*Legeſq. fatorum domantes*
*Phœbe mihi numeros libera.*
*Auguſta quæ frons apta ſilentio*
*Frænare vulgus non bene conditum,*
*Quę fuſa maieſtas per armos*
*Romulea decus addit oſtro*
*Dicenda nobis. illius occupat*
*Iam fama terras, ſiquid & vltimos*
*Vltra Britannos belluoſis*
*Oceani cohibetur vndis.*
*Quicunq. Rhenum cumbibis Italum,*
*O te beatum, cui faciles datur*
*Mores, & æquum purpurati*
*Principis imperium experiri.*
*Illius alto pectore delitet*
*Intaminata vis ſapientiæ,*

Quan-

Digitized by Google

Quantumq. doctrinæ per æuum
Socratici vomuere fontes.
Nondudum acutis auriculis bibi
Ceſſura nullo flumina Neſtori,
Et temperaturum minaces
Os pelagi reſonantis iras.
Te mens ſepulcri neſcia flebilis
Subduxit vmbris ſcripta per aurea
Obliuioſis, iamq. nomen
Nobile trans tumulum ſacrauit
Mirè inuidendum: quippe ſuperbiam
Paſſu impotentem non humili premis,
Stelliſq. florentes per oras
Vadis amans, timiduſq. Diuum.
Sed quid tuarum ſegnibus aream
Ingreſſa laudum Muſa iugalibus?
Si Phœbus aurigetur ipſe,
Non valeat tetigiſſe metam.

## IN OBITVM PETRI ANTONII Variſii Roſati Comarchæ.

### ODE XVI.

IAm terræ iniquis excidium plagis
Irata læſi dextera numinis
Molitur, ignitaq. mundum
Vertere deproperat procella.
Sol ecce mæſta lampade palluit,
Exoſa terras delituit ſoror,

Et

Digitized by Google

*Et regna mutantes minantur*
*Regibus exitium Cometes.*
*Tellure rupta templa labaſcere,*
*Stillare muros ſanguine cernimus,*
*Et mæſta perſudare guttis*
*Lugubribus ſimulacra Diuum.*
*Crinita ſæuis anguibus Eumenis*
*Accendit iras, atq. acuit minas,*
*Mentes & admorſæ Ceraſtis*
*Vipereo furiantur ictu.*
*Paſſim ſoluti compede ferrea*
*Belli furores gentibus ingruunt,*
*Ciuilis armorum tumultus*
*Finitimas quatefecit vrbes.*
*Hinc pertinaces Allobrogas premit*
*Iniuriarum non patiens Iber,*
*Cæſorum aceruos inſepultos*
*Aeriæ miſerantur Alpes.*
*Illinc talentis omnibus erutis*
*In bella turmas arripit Adria,*
*Prædonem, infameſq. furtis*
*Eruat vt ſcopulos ab imo.*
*Quis non malorum conſcius angulus?*
*Dic ſæua Regum Gallia flebiles*
*Cædes tuorum, dic coactos*
*Perniciem in iuuenis rebelles.*
*Clades tot inter, diraq. funera*
*Eheu Vareſi tu quoq. concidis,*
*Natum mori tecum vouentem*
*Nicoleum moriens relinquis.*
*Inſtare tantum funus vt audijt,*

 *Aſſum-*

*Aſſumpſit atros Lambrus, & Abdua*
*Squallens amictus, quiq. findit*
*Læta tuæ ditionis arua*
*Verbanus amni fregit arundinem,*
*Deiecit vrnas, occuluit caput,*
*Mox corpus efferri pheretro*
*Indoluit, vacuaſq. ciuis*
*Incendit auras vocibus aſperis,*
*Auro ſonantes rupit eques ſinus,*
*Crines, cruentataſq. malas*
*Terribili ſcidit vngue plebes.*
*Largis tepeſcunt compita fletibus,*
*Matres feneſtris dum caput efferunt,*
*Pectuſq. percuſſæ decorum*
*Attonitas vlulant per ædes.*
*Vos ergo funus ducite nobiles,*
*Orate pacem manibus integris,*
*Incluſa me vox conquerentem*
*Deſerit, exanimatq. mæror.*



Digitized by Google

# IN OBITVM LVDOVICI Gambaloitæ.

## ODE XVII.

NVnc ò Camœnæ vellite flebiles
Mœſta cupreſſus funereo comas
Serto coronantes, & amnes
Pierij lacrimis tepeſcant.
Mars ille ſæuo vulnere corruit,
Qui rebus ingens præſidium ſtetit
Bellator, armatas & Alpes
Arcuit Inſubria periclis.
Iamq. irruiſſet Gallus in Italos
Sæuum minatus, namq. diu coquit
Auis inultis bella certus
Italiam populare ferro;
Sed machinantem talia diſpulit
Prudens doloſæ militiæ manus,
Auertit amentes ruinas
Forte tuum Ludouice pectus.
Nunc illa vis interrita pectoris
Sed non inulto vulnere ſaucia
Quaſſatur, hoſtiliſq. plumbi
Letifera obruitur procella.
Sic quircus æreis cęſa bipennibus,
Aut flantis Euri turbine diruta
Procumbit, obiectaſq. frangit
Arboreas acies cadendo.

Vt

Digitized by Google

*Vt fraude captos vndiq. milites*
*Senſit labantes inſiliens equum*
*Admouit aduerſos in hoſtes*
*Caſtra fugam meditata turpem.*
*Mox diſsipatos Allobrogum globos*
*Vidit cruenta fronte ferocior,*
*Mortemq. deridens ſerena*
*Heu pheretrum facie popoſcit.*
*Sic obligari tempora faſcijs*
*Permittit Heros vulneris immemor.*
*Sic hoſte pulſo cedit, ipſo*
*Seruat in interitu cateruas.*

FINIS.

Digitized by Google

# INDEX.
# Syllabus Epigrammatum.

## LIB. I.

AD D Carolum in cælitum albũ relatum, pag. 1
In Aedes ſacras D. Carolo extructas in Aronæ monte. 2
De iiſdem ad nautas Verbani lacus. 2
Fides Catholica. 3
B. Ignatij Loiolæ conuerſio. 3
Ad D. Carolum. 4
Chriſtus exclamans. Quare me dereliquiſti? 4
Chriſti cruci affixi effigies. 4
Eadem ad mortales. 5
Chriſtus flagellis cæſus. 5
Ad D. Carolum pro fratre. 5
De luce in Aronianis montibus exorta. 6
De Aronianis ſacellis. 7
De Natali ſolo D. Caroli. 8
De Aronianis ſacellis, & Federico Borromæo. 8
De B. Virginis capillis. 9
De Virgine Deipara. 9
De Federico Borromæo contra luxum cócionante. 9
De eodem die ſacro Circumciſionis concionante. 10
Ad Generis humani ſeruatorem Chriſtum. 11
In orationem Federici Borromæi habitam in die feſto Epiphaniæ. 11
Ad eundem cum cingulum D. Caroli Senas dono mitteret. 12
In nouum ſacellum. 12
De eodem ad Federicum Borromæum. 13
De D. Carolo pedes pauperum abluente. 13
De Sacroſancto clauo quem in frenum Imp. Conſtantinus conflauerat. 14
De eodem. 14
De Sanctiſsima Cruce. 14
De partu Deiparæ. 15

Y De

INDEX.


De D. Iacobo Hiſpaniarum tutelari numine. 15
Ad eundem. 16
De Sacros Cruce. 252. 17. 16
De cælitibus. 17
De ſacris cineribus eorumdem Diuum. 17
De magis Regibus Chriſtum recens natum quærentibus. 18
De D. Sebaſtiano. 18
In auream crucem D. Carolo oblatam. 19
In ædiculam D. Stephani. 19
De D. Franciſco crucem Domini baiulante. 19
De eiuſdem imagine. 19
In Farinam D. Caroli percuſſorem. 20.
Ad D. martyres. 20.
De Templo maximo. 20.
De D. Io. Baptiſta. 21
De Angelo Michaele, & Antichriſto. 22
D. Agapytus marmoreus. 22
Caſtigatum à ſe corpus alloquitur. 22
De D. Io. Baptiſtæ obitu. 23
Iraus in eundem. 23
De eodem. 23
In filiam Herodis. 24
De Angelorum miniſterio in conficiendo manna. 24
De S. Reliquijs à Federico Borromæo tranſlatis. 24
De D. Prothaſio. 25
Ad D. Martinianum. 25
De D. Auxano. 25
De D. Martiniano. 25
De D. Prothaſio. 26
De D. Calimero. 30. 26
In Circumciſionis diem. 26
De D. Cælitibus. 27
De D. Calimero. 27. 28
De ſacris reliquijs. 29
De S Cælitibus Vrbis Mediolanenſes. 30. 31
De D. Catherina Virgine, & martyre. 31
De S. Carolo, & Carolo V. 32


Ad

Digitized by Google

# INDEX.

Ad D. Io. Baptiſtam, 33
In Herodem, 33
In D.Celſi Virginem, 33
De Cardinali Odoardo Farneſio, 34
Ad B.Ignatium. 34
De B.Ignatij tumulo. 35
De Induuijs Io. Baptiſtæ, 35
De cæde eiuſdem, 36
Ad D.Virginem. 37. 36
De Cathechiſmo, 37
Ad Puerum Ieſum, 38

LIB. II.

Lacus Verbanus. 41
Arx fontana, 42
Ad Io,Baptiſtam Couum, 42
Ad Zoilum. 43
De Carolo Moneta, 43
Arona, & Angleria. 44
Gropellum. 50. 44
In Auctorem Hiſtoriæ Ruſcarum. 45
Mediolanum. 46
Templum Eiuſdem Vrbis Maximum. 46
Caſtrum Iouis ibidem, 47
Leucum. 47
In ſtrumam, 48
Eupdis. 48
Bibliotheca Ambroſiana, 48
Maroni. 49
De poculo monetæ, 49
Fons Leynatenſis. 50
In Vrbicum, 51
Barra Vrbs. 51
In Adonin Leynatenſem. 51
Plinianus fons. 52
Ad Falconem fugitiuum. 53
Tumulus, 53

Y 2 De

De Vitaliano Vicecomite Borromeo. 54
De Antonio ſculptore. 55
Tumulus Hyelli. 55
In Labruſcam. 56
In Tuccam. 56
De Niobe. 56
Lucinus Cantor. 57
Alluſio ad Stemma Claudij Rangoni Epiſcopi. 57
De eodem. 58
De ſtemmate Philippi Archinti Epiſcopi. 58
Ad Scipionem Borgheſium Cardinalem. 154. 58
In Euphorionem. 59
De Hercule Ateſtino. 60
Ad Menochium. 60
De Ageneace. 60
In Barbaram. 61
Iulius cantor. 61
De Venere, & Muſis. 61
In Bombardam. 62
In Obitũ Virginiæ Nandutiæ Maſsinij coniugis 62. 63
Funebria in obitum comitis Theodori Triuultij. 63 64
Dido Aeneæ. 64
Iacobus Medicæus. 65
Marina moles. 65
Ad Chriſtophorum Clauium. 66
In Obitum Torquati Taſsi. 66
Gemini Triuultiadœ F. F. 67
Catherina Cantona. 215. 67
Eadem loquitur. 68
De Caputo. 67
Mirtetum. 69
In Obitum Fratris. 69
In Clepſydram Collegij Ambroſiani. 70
In Diſceſſum Decij Caraffæ Card. 70
Ad Federicum Cardinalem Borromeum. 71. 72 81
121. 122. 161. 171. 182. 183. 187. 195. 200. 206
207. 223. 224. 233. 237.
De Eodem dum templum inuiſit. 81

Ad

Ad Eumdem dum cubiculum Auctoris inuiſeret. 72
Ad Antonium Olgiatum. 246. 73
In Frenum inſigne Federici Borromæi Card. 73
In Humilitatem eiuſdem inſigne. 73
Ad Eumdem dum Collegium nobilium Adoleſcentum inuiſeret. 2. 74
Iacobo Mainoldo ſenatus Principi. 74
Ad Petrum Cantonum. 75. 126. 135. 221. 230
Ad Gauatium de eius inſignibus. 75
De inſcriptione libri eiuſdem. 76
In Oppidum Cenomanorum. 76
In Titianum. 77
In Cinnam. 77
Somnia. 78
De Antonio Georgio Beſutio. 78

## LIB. III.

Ad Hieronymum Centurionem. 260. 82
Ad Lectorem. 82
In Diei laudem. 83
De Horologio. 83
In Horarum antiquarium curioſum. 84
In Obitum Vincentij magnani. 84. 85
De Franciſco Alciato. 86
Ad Tarquinum Gallutium. 86
De Hieronymi Centurionis Dorleide. 87
Ad Bernardum Bauhuſium. 87
In Typographiam Ambroſianam. 88
In Somnum. 89
De Conuiuis. 89
In Diodorum Claudum, & Balbum. 89
In Ollum. 90
De Lælio. 90
In Bonfilij carmina. 91
In Phormionem, 91
In Hylam. 92
Ad Norbanum. 92



Digitized by Google

De Phyllide. 216. 92
Ad Amicum. 92.121.133.134.140.
In Attalum. 93
In nuptias Iulij, & Ilottæ Nugarolæ. 93
De Borromæorum Inſula in Verbano lacu. 93
In ſtemma quoddam. 94
De Tyrſide è græco. 94
Ad Ioſephum Archintum Senatorem. 94
Seminarium Mediolanenſe. 230. 96
De Io. Baptiſta, & Bonifacio fratribus ſacris. 95
De Ioſepho Ripamontio, & ſeipſo. 99
De Catherina Cantona & Domitilla Triultia. 96
In laudem Catherinæ Cantonæ. 97
De inſignibus Auſtriacis. 89
Funebria in obitum Mariæ Auſtriacæ. 99.100
De Infante regio Galliarum. 101
De Infante regio Hiſpaniarum. 101.102
De Tarquinio. 101
In Balbum. 102
Ad Lodouicum Fuocherum. 103
In Antonij Melchioris Epitalamium. 103
In Vincentij Galli Gramaticen. 104
De Arcimboldi Gymnaſio. 104
De Scipione à Cella, & Bernardino à Beſſa. 105
Gemini fratres ſacris admoti. 104
Ad Ignatium Albanum. 106
In Orbilium. 106
De Afro. 106
Tumulus Henrici III. Gallorum Regis. 107
Henricus III. Francorum Rex. 107
De ſeipſo. 107
Ad Bernardum Confalonerium. 121. 108
Ad Io. Baptiſtam Vicecomitem Senatorem. 241. 108
De Inuidia. 109
Ad Iacobum Valerium. 109
Alter Scæuola. 151. 110
Ad Petrum Toletum Oſorium Præfectum. 167. 111
In Idam. 111

Ad

Digitized by Google

Ad Mathæum Valerium. 146. 113
Ad Franciſcum Caſtrium. 113. 114
In orationem Coſmi Bindij. 115
Ad Ludouicum Septalam. 185. 115
In Paulum. 115
Ad Felicem Oſium. 116
In Caroli Vicecomitis obitum. 117
De cauſa interitus eiuſdem. 118
In Io. Baptiſtæ Vertuæ Opuſculum de retardanda morte. 118

## L I B. IV.

AD Io. Baptiſtam Siluaticum. 120
In Anguerianum. 122
De Villa Gropelliana. 123
Ad Philippum Albertinum. 156. 123
De Mulabus lecticę iunctis, qua Philippus Albertinus, & auctor iuſſu Federici Card. in Gropellianam villam recuperandæ valetudinis gratia deuecti ſunt. 124
Ad Phœbum. 164. 124
In malum Poetam. 124
In Africum. 125. 138. 200. 212.
In Cremetem. 126
De Vulcano, & Amore. 125
In Deltam. 126
In Auarum. 127
In Agreſtium. 127
Ad Ericium Puteanum. 127
Ad Io. Baptiſtam Saccum. 220. 272. 259. 235. 268. 128.
In aurea Federici Card. volumina. 129
In Paulum cognomento ruſticum. 130
De Cardinali Borromeo, & Leonardo Pictore. 130
Ad Cæſarem Burrum. 131. 197
Ad Hieronymum Boſsium. 131. 132
Abdua. 133
Ad Philippum Albertinum vt Archilocū ſuū edat. 133

De Breuitate humanæ vitæ. 134
In Attilam. 135
De Dorila fure. 135
De Fure ſuſpendendo. 136
De Næuolo. 136
Ad Andream Manriquium Marchionem. 136
Io. Baptiſtæ Caſſio. 137
In Verrem. 138
Ad Alexandrum Magiolinum. 139
De Puero P. Cantoni. 139. 140
Ad Lunam. 140
Ad Alexium Ricardum. 141
De Federico Card. Borromeo. 212. 142
Ad Galeatium Arconatum. 142
In N. Portæ lauream. 143
Ad Herculem Plancum. 143. 143
Ad Carolum Beſilium. 144
De Capaneo. 145
Ad Iulium Areſium Quæſtorum Principem. 146
In Libellum Mommi titulo inſcriptum. 148. 147
In nuptias Alexandri Nogarolæ & Ludouicæ à vero. 148. 149
In Obitum Scipionis ex condominis cellæ. 150. 151
De Paulo V. Pont. Max. & Paulo Seruita. 151
Ad I. Antonium Pyrabouem. 152
Ad Franciſcum Sermonetam apud Sarmatarum regẽ nuntium. 153
De Guido Bentiuolo apud Belgas nuntio. 153
Ad Hieronymum Franciſcanum. 153
In Cereris Cornucopiam manu geſtantis effigiem. 154
De Io. Baptiſta Vicecomite Senatore. 155
Ad Carolum Borromeum Aronæ comarchum. 155
In Turcarum regem. 156
Ad Iacobum Reſtium ægrotantem. 156
In nuptias. 157
De Helena, & ſenibus procaciſſimus. 157
De Aſcanio Caraciola. 158

LIB.

Digitized by Google

# INDEX.
## LIB. V.


IN Federici Borromæi Card. ſpeculum. 161
De Aſcanio Oddeo Canonico Regulari affini ſuo. 160.
In Dioptram. 160
De Auſtriadum Inſignibus. 161
De Thomæ Stiliani Columbeide. 162
Anachoreta. 249. 250. 162
De Claſſe naufraga. 163
Ad Ioſephum Ripamontium. 220. 164
Ad Guidum Bentiuolum. 242. 244. 164
Ad Federicum Borromæum dum ſupremis adeſſet Auctor. 165
In Neſtorem. 166
In Mortis effigiem. 196
De Epigrammatibus Philippi Albertini quæ conſcripſit in telam. 166
In Biciam. 168
Ad Hieronimum Machium. 168
Ad Cardinalem Mapheium Barbarinum. 170. 169 168.
Ad Marcum Velſerum. 171
In Bibliopolam. 172
In Togatum. 172
Epitaphium Cinthij. 172
In Phillidem. 173
Ad Fortunam. 173
De Briantæo monte. 173
Ad Lillam. 176
Ad Lauiniam Guaſcam. 176
In Lucullum. 176
Ad Scipionem Principem. 177
De Næuo. 177
In Stemma Philippi Pirouani. 177
In exequias Margaritæ Auſtriacæ Hiſpaniarum Reginæ. 178.
De Caſeolis à Cypriano Mainerio dono miſsis. 178


De

Digitized by Google

De Vercellino Viceccomite. 179
In Diodorum. 179
In Calliodorum. 180.189
In obitum Parthenopæi. 180
De Hyacintho concionatore. 180
In ſtatum ruſticum VincentiJ Imperialis. 181
In Deiparam Virginem. 181
In Pleſſeum. 182
In Naucolum. 183
In Garricum. 184
De Thetide. 184
De Thoma Moro. 185
In Gelaſinum. 185
In Eunum. 186
De Equuleo. 186
De Regulo. 188. 187
Ad Thomam Galleratum Senatorem. 188
De Iano lurcone. 188
Ad Ludouicum Beſutium. 189
In Epiſtolas Aquilini Copini. 190
De Ericio Puteano. 190
Prætor. 191
Prætoris monumentum. 191
De Ludouico Septala. 191
In laudem Alexandri Farneſij. 192

## LIB. VI.

ROma Noua. 196
Ad Græciam. 196
In libellum de pœnis remittendis. 197
De fratribus nequiſſimis. 198
Eugeon. 198
In ancipitem gladium. 199
In faculam. 199
Epitaphium Hæreſiarchæ. 199
In malum Poetam. 200
In obitum Marci Fanniani. 201

In

In Mæuium. 201
In nentem dum in ludo litterario verſaretur. 202
Ad Iacobum Reſtium. 257.258.202
In noctis laudem. 203
De genialibus diebus. 203
Vis vi repulſa. 204
Ad Barbaram. 204
De Federici Bibliotheca in Ambroſianam tranſlata. 205
Ad Bellaſium. 205
In Cinnam. 206
Armenius. 207
In lauream Ludouici Mazentæ. 207
In Eundem. 208
In malos huius æui ſcriptores. 209
In aquæductum Pauli V. Pont. Max. 209
Siren in patera. 210
Iacobi Reſtij locus. 210
Ad Io. Velaſchium dum Bibliothecam Ambroſianam inuiſeret. 210.211.214
In Politicos. 212
Amor ſine vitiis. 213
In ſymbolum amoris, & fœminæ. 213
De Maronis effigie. 214
Apicula extincta. 215
Ad Mopſum. 215
In Adulteri lectum. 216
In Aquilini Coppini Orationem de Regis Hiſpaniarum Monarchia. 217
De geminis Fabijs. 218
Ad Ambroſiani Collegij Doctores. 218
Ad Vincentium Imperialem. 219
Echo. 222
De Gedeone extincto. 223
De Theodoro. 224
Ad Grataroliam. 225
In Onagrum. 226
De Hiſpano milite. 226

De

Digitized by Google

De Infante Parmenſi. 227
Iocus. 227
In Criſpum. 227
In Hiemem. 228

## LIB. VII.

AD Aquilinum Coppinum. 234
Ad Andream Baſſum. 234
In Tuccam. 235
Parodia. 236
Curia picta. 239
De Veronica. 240
De Magdalenæ Lachrimus. 243
Epitaphium Primi Comitis aui. 245
Epitaphium Franciſci Comitis aui. 245
Ad Briantæos colles. 246
De Zacharia. 247
Chriſti & Ioannis occurſus. 247. 248
De Eremo. 248
Chriſti, & Ioannis ortus atque obitus. 248
In Percuſſorem. 249
De Alexandro Farneſio. 250
Timotheo Barofio. 251
Ambroſiana Bibliotheca. 251
Ad Abbatem Beſutium. 251
Ad Franciſcum Aelium. 255. 253
Ad N. N. 254
De Amata ad Parthenopæum. 254
In Cæſaris Burri Adonida. 255
Ad Vitalianum Vicecomitem apud Cæſarem nuncium. 256
Ad Eundem dum puber eſſet. 269
In Lauream eiuſdem. 270
Danubius. 256
De Petro Glusſiano. 258
In Iacobi Reſtæ tumulum. 259
Flores dono miſſi. 260

De

De Leonora. 263
De Vittis. 264
De Velaminibus. 264
De Pauli V. Pont. Max. inſignibus. 244
De Crinibus ſectis. 264. 265
In Lauream Nicolai Variſij Roſati comitis. 265
De Virgine ſacra. 266
De Vnione. 267
In Stemma Vicecometum. 271
De Vincentio Caballo. 272

# SYLLABVS

## Odarum.

### LIB. I.

IN Aureum Antonij Ruſcæ de voluntate diuina, volumen & Muſarũ temere flammis abſumptum od. I. p. 5.
In Auaros Ode II. 7
Ad Petrum Cantonum Od. III. p. 9. Od. VI. pag. 13
Ad Iulium Adoleſcentem Ode IV. 11
In Laudem Principis Velaſchi Od. V. 12
In Siccarios Od. VII. 15
Ad Martem Od. VIII. 16
In obitum fratris Od. IX. 18
Ad Mutium Sfortiam Carauagij Marchionem Ode X. 19.
Reconciliatos Federici Borromæi Card. & Velaſchi animos ſub Nerei perſona gratulatur Ode XI. 20
Ad Brippium Ode XII. 22
In Rerum Auctorem Deum Ode XIII. 23
Naturam paucis eſſe contentam, nec Reges vacare curis quamuis cuſtodum cæteruis ſtipentur. Ode XIV. 24.

Brian-

Digitized by Google

INDEX.

Brigantæi Montis ſalutatio poſt Italicam peregrinationem concepta ad Guidum Caulcantiũ, Ode xv. 25
Felicitatem in vitæ tenuitate, & animi magnitudine conſiſtere non opulentia, Ode xvi. 26
Ad Hieronymum Centurionem, Ode xvii. 27
Ad Franciſcum Mathæum Tabernam, Ode xviii. 28
In laudem Heroinæ Velaſchiæ, Ode xix. 30
Curandam eſſe corporis humani ſalutem, & leuerioribus ſtudijs pauſam dandam ad Antonium Olgiatum, Ode xx. 31
Ad Antonium Gygeum, Ode xxi. 32

LIB. II.

AD Federicum Borromæum, Ode i. pag. 35. od. xiv. pag. 56. Od. xv. pag. 57.
Ad eundem, vt tandem in Vrbem redeat, Od. ii. 38
Eiuſdem Cardinalis munificentiam in reſtaurandis templis, & bonis artibus a barbarie vindicandis commendat, Ode iii. 40
Ad Auguſtinum Terzagum, Ode iv. 41
Iuuenem corporis bona iactantem admonet ne adoleſcentiæ florem diutiſſime manſurum eſſe confidat, Ode v. 42
Ad Franciſcum Bernardinum Ferrarium, Od. vi. 43
In obitum Theodori Triuultij, Ode vii. 44
In M. Antonij Areſij obitum, Ode viii. 46
Ad Ioſephum Ripamontium, Ode ix. 47
Ad Io. Baptiſtam Strozzam, Ode x. 48
De Sacroſancto Romani Pontificis regno, Od. xi. 49
Ad Thimotheum Baroſium, Od. xii. 52
Ad Iulium Cæſarem Stellam, Ode xiii. 55
Ad Aloyſium Capponium Cardinalem, Ode xvi. 59
In obitum Petri Antonij Variſij Roſati Comarchæ, Od. xvii. 60
In obitum Ludouici Gambaloitæ, Od. xviii. 63

Errata

*Errata præcipua quæ in libros Epigrammatum irrepſerunt.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| Pag. 1. | ver. 1. | du | Dum, |
| 2. | 1. | templæ | Templa, |
| 6. | 4. | in acceſſo | inacceſſo, |
| 7. | 10. | mænia | mœnia |
| 8. | 8. | uocte | nocte, |
| 9. | 4. | Genetrix | Genitrix |
| 10. | 12. | Enutu | è nutu, |
| 25. | 14 | & diuos | Vrbs Diuos |
| 29. | 3. | coſpecto | conſpecto, |
| 31. | 8. | non tacitas | nec tacitas, |
| 32. | 8. | iugenio | ingenio, |
| 33. | 4. | natus | latus, |
| 35. | 10. | vti | vt |
| 43. | 1. | eeruice | ceruice |
| 44. | 4. | eduſtas | eductas, |
| 44. | 9. | Aſtris, | aſtris? |
| 46. | 1. | Menphis | Memphis |
| 47. | 10. | proprior | propior, |
| 49. | 14. | generaſior | generoſior |
| 52. | 1. | reeubare | recubare |
| 58. | 8. | nature | natare, |
| 62. | 6. | ferrens ille | ferreus ille |
| 70. | 10. | ah amne | ab amne |
| 71. | 19. | dognata | dogmata, |
| 73. | 8. | & tibi | eſt tibi, |
| 74. | | Adoloſcentiũ | Adoleſcentium |
| 77. | 19. | exaruis | exaruit, |
| 82. | 2. | imuitata | imitata, |
| 87. | 5. | vocaueris | vocaberis |
| 94. | 19. | quendam | quondam, |
| 102. | | Ad eundem | Ad infãtẽ regiũ |
| 106. | | De Afri | De Afro, |
| 112 | | De EADEM. | De eodem. |
| | 15. | vltra | vltro, |
| 114. | 13. | vox qui | vox cui, |
| 116. | 5. | vrn | vrna, |
| 117. | 1. | laminigine | lanugine, |
| 124. | 6. | begla | regia, |

117. La-

| | | |
|---|---|---|
| 126. | 19. cantum. | tantum. |
| 133. | 12. motus. | mores. |
| 138. | 12. amaritiem. | auaritiem |
| 141. | 14. at nihili. | aut nihili |
| 155. | 6, effigit. | effugit. |
| 160. | 5. memoris | nemoris |
| 162. | 9. ceruitis | cernitis |
| 163. | 1. cerelus | cerulus |
| 168. | Ad Cardinalem Matheum Barbarinũ. | |
| | Ad Cardinalem Mapheium Barbarinũ | |
| Ibid. | 11. ſucta | ſueta |
| 184. | 16. nec põt eẽ gigas, | nec potis eſſe Gigas |
| 190. | comeſã | iam abſũmpta |
| 197. | 12. cruda ſonaut | crura ſonant |
| 202. | rapiti | capiti |
| 206. | inquilinus | errabundus |
| 207. | 6. Aeneide nunquã. | Aeneis numquam |
| 214. | 14. Aeneidbſq. | mantoſq. |
| 221. | 1. gracillimus vate | gracilimus artus |
| 222. | 12. Tybris | Lambri |
| 224. | 6. Lycæa iacent | Lycæa tacent |
| Ibid. | 14. fidus erat | fidus eat |
| 236. | 18. neſcitabat | noſcitabat |
| 253. | nouum | nouem |
| 258. | ardus | arduus |
| 258. | 13. Dum tũ noſtrum | Dum tũ ad noſtrum |

### *Quæ in Odarum Libros.*

| | | |
|---|---|---|
| Pag. 4. | feruimus | feruimus |
| 9. | Matures reditum fide | |
| | Vt reditum celeres in vrbem | fide obli. |
| 14. | 8. Atropidos | Atropos |
| 18. | funeris | funereis |
| 19. | 1. Infubris | Inſubriæ |
| 44. | 8. cornn aduuco | cornu adunto |
| Ibid. | infelix | miſer heu |
| 53. | 2. oris | aris |
| 54. | 2. rufuſq. | ruſuſq. |
| Ibid. | 31. culpeq. | culpæq. |

Bayerische Staatsbibliothek München
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

A – 5° 130.

Digitized by Google

Digitized by Google